



**Confessio Waldensium de plerisque nunc controversis
dogmatibus ante 134. annos contra claudicantes Hussitas
scripta, nostrisque temporibus statui, ac rebus pulchre
correspondens.**

<https://hdl.handle.net/1874/406831>

Confessio

2

VVALDEN-
SIVM DE PLERISQVE
NVNC CONTROVERSIS DOGMA-
tibus ante 134. annos contra claudij-
cantes Hufsitas scripta, nostrisq; tem-
poribus statui, ac rebus pul-
chrè correspondens,

Gal. 2.

*Sed propter subintroductos fratres, qui subin-
troierunt explorare libertatem nostram, quam ha-
bemus in Christo IESV, ut nos in seruitutem redi-
gerent: quibus neq; ad horam cessimus subiectione:
ut ueritas Euangelij permaneat apud uos. En-
quàm necesse ac salutare sit repugnare seruituti
Mosaicæ, nedum Antichristianæ, si modò ueritatem
Euangelij retinere uolumus.*

BASILEÆ
PER IOANNEM OPORINVM;
Anno M. D. LXVIII.

Confessio

VVA ALDEN

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

Col. 2

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

SEVM DE FLINCK

BASILEAE

PER IOANNEM OPORINVM

ANNO M. D. LXXVII

NOBILI AC VIR

TVTE PRAESTANTI D. SE-

BASTIANO A ZETLITZ, SVO DO-

mino & Patrono optat gratiam & constan-

tiam in agnita receptaq; puritate Eu-

angelij IESV Christi,

Matth. Fl. Illyricus.



RSIT semper & nunc etiam
urget uerba errans ueram Ec-
clesiam Christi cum alijs mo-
dis, tum & hoc telo ac plau-
sibili specie, q; sua religio sit
uetustior, latius pateat, à pluribusq; po-
tentioribus ac celebrioribus colatur,
quàm alterius, cuius fides uideatur tum
nupera, tum à paucis, ijsq; ignobilibus,
recepta. Cui probabili sophismati adiun-
gunt impij, ingentes clamores, uocife-
rantes non esse uerisimile, Deum tot sæ-
culis mundum neglexisse, totq; præstan-
tissimos & omnis uirtute doteq; orna-
tissimos uiros, uel etiam heroas, à ueri-
tate ad eò fœdè aberrasse, ac in æternum
damnatos esse: omnium uerò minimè
esse uerisimile aut credibile istos paucos
ac nouos homines tot sæculorum mor-
talib. tot etiam præsentis tempore uiuen-

EPISTOLA

bus tùm potentibus, tùm sapientibus, tùm deniq; doctis ac sanctitate celebribus uiris, oculatiores, sapientiores, aut magis pietate præstantes, &c.

Multra huius generis exempla ac testimonia proferri possent, si tempus occupationesq; ferrent: Sic enim olim idolatræ Iudæi contra Prophetas autoritate traditionibusq; Patrum depugnarunt, quòd & illi maximi fecerint sacrificia & in ijs locis sacrificauerint, ubi tunc ipsi, non Hierosolymæ. Sic Samaritana ait: Patres nostri olim in hoc monte adorauerunt, & uos dicitis, quòd oporteat Ierosolymæ adorare.

Sic Christo ac Apostolis Iudæi perpetuò nouitatem doctrinæ ac religionis, suorum Patrum traditionem iactantes, obijciebant, Mosisq; tantùm discipuli ac sectatores uideri uolebant, non huius noui hominis & filij fabri, qui nondum 40. annos natus erat.

Sic Ethnici quoq; suæ religionis uetustatem, tot suorum diuorum miracula, suarumq; rerum publicarum & imperiorum tot sæculis florentissimum statum ac deniq; tot eximios, omniq; genere uirtutum ornatissimos uiros ac heroas, suos

DEDICATORIA.

suos antecessores contra Christianos instabant & eis obiectabant.

Refertur multumq; celebratur ab aduersarijs huius generis historiola, cuiusdã Frisiaci principis, qui in disceptatione de religione, cum d. Bonifacio tandẽ que serit, quo loco accõditione censeat esse tot suos maiores uiros, longè præstantissimos, cui cùmille respõdisset proculdubio damnatos esse, quandoquidẽ perfolum Christum non sint iustificati, nec in morte sua ad eius passionẽ confugerint. Quo audito ille eum à se abegerit, dicẽs se in eodẽ loco cum illis uelle post mortem esse, ac paulò post ruina balnei sit oppressus. Huc accedit, q, nõ tantũ Christi, sed etiam Ecclesiæ ac doctorũ ipsius plerunq; est tãtm tristis ac contempta species in oculis & iudicio hominum mundi huius, ut sicut Propheta inquit, non sit forma neq; decor ei, ut expeiri posset, sed sit despectus ac deuitatus ab hominibus.

Nec uerò carnales tantũ homines ac impius mundus ignorat ac despicit contemptam regni Christi speciẽ, sed ipsi etiam pij crebrò offenduntur, tristi squalida que eius forma, & contrã gloria ac splendore synagogæ imperiorum ac totius

EPISTOLA

Impij mundi florentissimis rebus perturbantur, ut passim David in Psalmis de semetipso confitetur, lugubriterq; conqueritur. Quin & summus ille Dei pphetes Helias putat iã totam Dei Ecclesiam deletam esse, seq; solum superstite relictũ.

Verũm sicut illi Deus tũc numerositate suę Ecclesię regniq; filij sui singulari oraculo patefacit: ita pij quoq; oēs debent statuere, Deũ semper sua VII. millia piorũ habuisse, sibiq; reseruasse, qui genua Baali & Antichristo nõ incuruauerint. Nec hoc tantũ illi ex uerbo Dei discere tenentur, sed etiã studiosẽ, quoad queũt, inuestigare, tũm scripta tũm & alia quecunq; uestigia & indicia & in lucẽ pferre, quod oēs etiam impij tandẽ cernant, semper fuisse aliquos genuinos ueritatis sectatores, & aliquẽ gregẽ ouium domini sedulo uocem eius audientiũ & contra alienã despicientiũ & abominantiũ, licet nõ rarò perpusillũ ac contemtũ: sicut Christus de suo et Ha. quoq; de suo tẽpore queribundi testatur, qd fuerit tunc ualde pusillus grex, qd nisi dñs perpusillũ semẽ cõseruasset, tota gens Iudaica, que sola tunc titulũ populi Iehouę iactabat, sicut Sodoma fuisset: ubi nec decem qdem ac fortẽ nõ etiã quinq;

uere

DEDICATORIA.

uerè pij repiri à Deo perdituro eã querūt

Cum uerò hoc quoq; tēpore simili ad-
 uersariorum calumnia Ecclesia ac religio
 Dei diuexetur, rectè eis primùm ex uerbo
 dei respōsum est, ac à plurimis potēter de-
 monstratum, nostrā religionē doctrināq;
 omnium uerustissimā, simul & continuā
 uereq; catholicā esse. Sicut. n. statim in pa-
 radiso Deus pposuit Euāgelium suum, q;
 solum bñdictum semen mulieris cōteret
 caput ac opa Diaboli, abolita maledictio-
 ne, peccato ac morte, restitutaq; benedi-
 ctioe ac gratia Dei, iustitia & uita eternaz
 sic & Patriarchis deinceps diuinitus hoc
 idem Euangelium de benedicto & omni-
 bus benedicturo semine subinde instaura-
 rum est. Idē postea quoq; per Prophetas
 est diuinitus mundo reuelatum, de semi-
 ne uirginis suis uulnerib. peccata nostra
 expiatur. Hoc idē semen Deus etiam p
 Baptistā digito cōmonstrat, quod non sit
 aliud nomen sub cœlo datum, nec alius
 agnus, qui peccata mundi auferre queat,
 q̄ hic unus, cui omnes Prophetæ & tota
 sacra scriptura testimonium uno ore lu-
 culentissimè præbeant. Atq; hoc idem
 est etiam nostrum Euangelium doctrina-
 que ex nulla planè abire.

EPISTOLA

Verùm potest hoc primarium fundamentum scripturæ Apostolorum ac Prophetarum Patriarcharumq; , super quod propriè & primariò superstructi, firmati, fundatiq; sumus, utile esset etiam ipsa experientia uerisq; ac uiuis uestigijs commonstrare perpetuitatem Ecclesiæ, & semper fuisse multa piorum millia, qui genua Baali Romano nõ incuruauerunt.

Hunc sanè utilissimum conatum tum ad confirmandos pios, tum ad retundendos oblatrantes seductores, tum deniq; etiam ad illustrandam gloriam Dei, ego quoq; iamdiu magno meo labore, sumptu ac etiam periculo, conquistis undique uetustissimis monumētis, quantum omninò potui, summis uirib. promoui.

Quare tum præclarissimum ac utilissimum opus historiæ (cuius iã XI. centuriæ extant) initiò proposui, utcunq; delineauì & promoui, ac quantum omninò queo, promoueo: uel uerius Deus proposuit, qui etiam alios multò magis idoneos utilesq; ministros ad tantum opus excitauit.

Eadem de causa & plenum uolumen collegi eorum, qui ante hanc præsentem, planeq; diuinam uerbi Dei instaurationè

DEDICATORIA.

ac illustrationē Antichristo reclamant. Eadem de causa quoq; multa taliū Christi solius cultorū ac doctorum scripta in lucem protuli, tum ligata tum & soluta oratione cōscripta: Multo uerò plura habeo, ac proferre possem, si esset qui sumptus in descriptiones ac editiones facerent.

Nunc uerò publico Thaboritarū confessionem circiter ante 134. annos nomine totius eius Ecclesiæ conscriptam, quæ tantò gratior esse deberet pijs, quod multò puriorem doctrinam contineat quàm Ioan. Husi eiusq; discipulorum fuit, quī nimis multas abominations Antichristi retinuerūt, pauca quædam tantum, si ad reliquorum chaos abominationum conferantur, nimiumq; pro dolor, molliter ac languidè taxantes. Hæc enim cōfessio in plerisq; omnibus nunc cōtrouersis articulis cum nostrarū Ecclesiarum doctrina consentit, quod legenti clarius patere poterit.

Credo autem hanc puriorē doctrinam etiā ante Husi. in Bohemia & uicinis locis fuisse, ac à VValdensibus propagatam esse, occasioneq; tam uehementium certaminum Husi refluuisse. Habeo enim

EPISTOLA

libros inquisitionū ante 300. annos con-
scriptos, qui testantur in Bohemia, Saxo-
nia, Slesia & Polonia multos VValdensiu
dogmatis sectatores fuisse, eamq; doctri-
nam ex Lombardia seu Gallia cisalpina,
(ut eam Romani uocarunt) propagatam
fuisse. Ed reperio solitos esse Bohemos
tum collectas pecunias, tū & discipulos,
ut præceptoribus & ad scholas Theolo-
giæ mittere. De qua re in prædicto catalo-
go testiū ueritatis prolixius disserui, pro-
positis etiā plenius eorum dogmatibus.

Quod uerò ad præsentēs VValdenses
attinet, omninò non possum probare, q̄
cum in multis partibus habeant multò
obscuriorem imò & deteriorē doctrinam
ac docendi methodum nostra, quæ illam
longissimè, ut sol lunam, excellit, nihilo
minus mordicus suam formam retinent,
& nostris Ecclesijs sese separant, nostrosq;
persuadere conantur, ut ad se deficiant.
Non liber eorum omnia errata exagitare,
ne odio priuato aut emulatione quadam
id facere uidear, tantum de quibusdam
paucis aliquid obiter dicam.

In articulo Iustificationis manifestè in
quibusdam suis libris cōmiscent imputa-
tam iustitiam cum inhærente aut infusa,
ut Pa-

DEDICATORIA.

ut Papistæ, quod eorum legatis aliquan-
do Magdeburgæ unà cum d. d. VVigando
meo charissimo fratre coràm cōmonstra-
ui. Quare & Osiandri infusam iustificati-
onem aliqui ipsorum Magistri in Prussia
comprobarunt. Disciplinæ suæ prorsus
nimiū tribuunt, non nihil in eo cum ope-
raria Papistarum iustitia & operū neces-
sitate ad salutem conuenientes. In formula
receptionis aut initiationis fermè Ana-
baptismū quendā sapiunt, etiamsi nunc
nō retineant initiatos. Nimum enim le-
uiter de prima initiatione & cōtra nimis
magnificè de illa sua receptione loquun-
tur, fermè sicut & monachi, cū suos no-
uitios in monachatum recipiunt.

In sententiâ de sacramento cœnæ nunc
huc nunc illuc uacillant. In confitenda
etiam ueritate olim parum sese benè ges-
serunt, nimiū indulgentes suis, ut simu-
lent & dissimulent.

Censuit quidem Lutherus pię memo-
riæ, eos aliquandiu ferendos esse spe me-
lioris profectus, ut adhuc imbecillos, sed
aliqui eorū Doctores, ut illum suum pri-
matum retineant, eos in illa sua priori nō
optima forma & conditione Ecclesiæ re-
tinēt, perinde prorsus facientes, ac si quī,
exori;

EPISTOLA

ex oriente sole, pertinaciter suis candelis
uti pergerent, nec solis lumine multò lu-
cidiorè uti uellent, ne uiderentur suum
prius institutum aut factum, quod antea,
durante nocte, lucerna usi sunt, condem-
nare.

Suadendum ergò eorum Ecclesijs, pi-
isq; ac cordatis hominibus esset, ut, agni-
ta hac multò fulgentiore luce nostræ do-
ctrinæ ac religionis, nostris sese Ecclesijs
aggregarent, potentiamq; quorundã su-
orum pastorũ dissoluerent. Nihilominus
possent moderatã quandam seueritatem
disciplinæ, citra Tyrannidem tamẽ & ni-
miam meriti opinionẽ, retinere, sicut &
in multis nostris Ecclesijs retinetur. Sed
hæc de Valdensibus paulò prolixius, de
quibus fortè aliàs occasio dabitur copio-
sius agendi, nunc uerò ad confessionem
Thaboritarum redeamus.

Porro hic liber etiam eo nomine grati-
or ac utilior lectori esse poterit, quòd cõ-
tinet actiones historiamq; nostris rebus
ac temporibus simillimã. Nam post Hus-
sij mortem & illos tantos bellorum mo-
tus, sectatores auditorẽsue eius in duas
partes fuerunt distracti, in Pragenses &
Thaboritas. Quorum hi quidem accersit
tis

DEDICATORIA.

tis purioribus doctoribus multò plures errores abominationũ Pontificiarum taxabant, purioremque doctrinam, quàm Hufsiij fuerat, habebant & magis ab Antichristo Romano abhorrebant. Contra autem Pragenſes, quibus etiam maxima pars procerum regni adhærebat, partim tot bellis, periculis ac certaminibus defatigati, partim etiam impulsu Rokenzanæ aliorumq; eius Academiæ eruditorũ, quĩ Pragenſem archiepiscopatum à Rege & Papa uenabantur, & cũ sua factione longissimè alteram partè antecellebant, totĩ tendebant ad reconciliationẽ cum Antichristo, eoq; multum de illa Stoica Hufsiij austeritate, & ardenti zelo lenierãt abiecerantq; multoq; propius ad aduersariorum doctrinam concesserant.

Inde igitur exoriebatur acre dissidium inter illas duas Ecclesias, accusantibus & infamãtib; crudelissime Rokenzana cũ suis profopoleptis totaq; academia alteram illam imbecilliorẽ, ignobilioremq; Thaboritarum congregationẽ apud populum Pragenſem, totiusq; regni proceres. Vnde quoq; hæ actiones & oppositi articuli accõfessiones inter eos conscripti propositiq; sunt, ex quib. liquidò patet

EPISTOLA

vet Rokenzanam eiusq; sectatores & totam Academia ipsissimum Papatum propugnasse ac promouisse.

Duravit id certamen per plures annos: Tandem autē, applaudente Pragensibus Papæ collocribus multitudine tum vulgum & procerum, Thaboritæ oppressi stulte subierunt quasdā pactiones & arbitros, qui eos Pragensib. subiecerunt, eorumq; doctrinam, ut ab Huisio alienam, condemnarunt.

Oppressa hoc modo parte rectius sentiente, obcurataq; ueritate & repressis ijs, qui acius Antichristo resistebant, Satan, non contentus ea uictoria, paulo post pmouet uictores Pragentes & regni proceres, ut cū concilio Basiliensi, quod tunc agitabatur, trahant, seseq; Papæ subijciant, eiq; suarum Ecclesiarum regimen iurisdictionemq; tradant.

Reseruarunt illic sibi tunc Bohemi solos 4. articulos, eosque non præcipuos, nempe comunionem sub utraq; (ut uocant) specie, abolitione publicorum flagitiorum, ut lupanaria & similia, libertatem prædicationis, & deniq; abolitione politici dominij clericorū. Quæ quatuor non primaria capita illi absurdo uocabulo Com-

2^o Art. in
in pragen

D E D I C A T O R I A.

Io Compactata uocitarunt. Verum Sa-
tan adhuc longius in oppressione uerita-
tis progressus est. Nam aliquanto post ue-
niente in regnum rege & legatis Pontifi-
cijs, recipienteq; iurisdictionem Ecclesia-
rum, nec illa quidem, quæ eis promissa
fuerant, ut ipsemet Æneas Syluius in Bo-
hemica historia testatur, seruata fuerunt.

Quare postea & nunc quoque uix ex
omni illo amplissimo thesauro purioris
doctrinæ, utcunq; cōmunionem utrius-
que partis, pauci aliqui retinuerunt. In re-
liquis autem omnibus sunt ipsismet Pa-
pistis (ut ita iam loquar) Papisticiores &
abominabiliores, quod tamen non dico
de ijs qui nunc illucescente denud splen-
dore Euangelij resipuerunt, uel qui etiã
Husij ac VViclefij libros diligentius lecti-
tare solent.

Hæc de illorum historia ac rebus acti-
onibusq; religionis eò prolixius & liben-
tius cōmemorauit, ut ea pij homines tan-
tò diligentius cum nostris rebus ac reli-
gionis statu cōferre queant, ac tū præte-
rita damna agnoscere, tum & futura piè
solerterq; præcauere discant. Quædam
enim hisce plano simillima iã euenerunt,
reliqua uerò ut accidant, prorsus in pro-
cliui

EPISTOLA

cliui est. Omnino enim hæc historia eue-
 tusq; nostrarum rerum antytipon est, ut
 non sit eã difficile ad suum exemplar ac-
 commodare. Scitum uerò est inquit ille,
 alieno exemplo discere tibi quid ex usu
 fiet. Et: Felix quem faciunt aliena pericu-
 la cautum. Tibi uerò uir nobilissime &
 pientissime hunc librũ dedico, quòd sci-
 am te tum sinceræ pietatis studiosissimũ
 esse, tum ex animo Ecclesiæ uulnera do-
 lere, ac errores sectasq; præsertim
 Schuenckfeldij & Anabaptistarum illic
 in uicinia grassantes detestari, tum etiam
 istis locis, ubi VValdenses fuerunt, mul-
 tum uersari, eorumq; historiam notã ha-
 bere: quo tuo exemplo etiam alij uiri no-
 biles ac uirtute præstantes, tantò diligen-
 tius hoc aliaq; pia scripta & diabolici fer-
 menti antidota cognoscant. Dominus
 Iesus te uir præstantissime suo sancto
 Spiritu regat ad gloriam nomi-
 nis sui & bonorum uti-
 litatem. AMEN.

1368

CONFESSIO TABORITARVM CONTRA ROKEN-
zanam & Papistas Pragenses, ante
132. annos conscripta.

CAPVT I.



VIA ANNO DOMINI
1431. currente in conuocatione
generali regni Bohemiæ electæ erāt
Personæ duodecim ex statu Baro-
num, militum, clientum, ciuitatum,

& communitatum de rego Bohemiæ legi Dei ad-
herentium, quibus ab omnibus commissum erat de
prouidendo bono ordine inter se & Sacerdotes par-
tium utrarumq;. Quæ postea personæ autoritate
propria & omnium aliorum, eodem anno quo su-
prà in festo S. Georgij nobis Sacerdotibus Tabori-
ensibus parte ex una & magistris & Sacerdotibus
Pragensibus, parte ex aduersa terminum pro audi-
entia statuerunt, ita, quod in uigilijs Sanctorum Phi-
lippi & Iacobi Apostolorum ad collegium Caroli
utriq; sumus conducti, & in presentia dictarum
personarum stabiliui, coram quibus quidem perso-
nis ueluti auditoribus & coram multitudine Cleri
aliorumq; multorum secularium.

Primum & ante omnia M. Ioannes Rokenzana

B

nomine

A P O L O G I A

nomine suo, ceterorumq; magistrorum & sacerdotum Pragensium quasdam culpas nobis obiecit, post quarum culparum obiectiones nos sacerdotes Taborienses antedicti priusquam illis respondimus ante omnia coram dictis auditoribus & multitudine Cleri, aliorumq; multorum Sæcularium causam nostram, quam Deo duce contra dictos Magistros & Sacerdotes Pragenses promouemus, declaramus, uia & modo conscripto, quem ex mandato dictorum dominorum auditorum in ipsorum manus reposuimus, quam hic, quamuis non sit in forma, à sententia tamen ipsius minimè discrepantem, quanto succinctius & breuius poterimus, inmediate per ordinem describemus.

Continebit autem scriptum præsens nostrum duas partes principales, in quarum prima describemus causam nostram, quam promouemus ipsam lege Dei ac sanctorum doctorum auctoritatibus se in eadem ueraciter fundantium munientes. Et in secunda aggrediamur scripta Magistri Ioannis Rothenzane & sibi adherentium, quæ contra Catholicam nostram positionem explicationemq; causæ nostræ spissè multiplicat, prius culpis nobis per eum obiectis respondentes.

PRO-

VALDENSIUM.
PROTESTATIO SVPER DICTIS ET
dicendis à nobis.

CAPVT II.

Quantum ergo ad primam partem, quia desideramus super omnia honorem Dei profectum scilicet Ecclesie, & quod sumus fidelia membra Domini nostri Iesu Christi, ideò ad cautelam & magnam securitatem istam subscriptam premitimus protestationem, quæ in spe Domini nostri Iesu Christi tenuimus, tenemus & firmiter tenere desideramus, omnem credibilem ueritatem, confitentes corde integro totam legem Christi tam firmiter ueritatem existere, quod nullum Iota aut apex ipsius fallere potest, cuius singulos credimus articulos ad illum intellectum, ad quem benedicta trinitas præcepit illos credi. Credimus insuper dominum suam, id est, ueram suam sponsam sanctam Ecclesiam, fundatam tam firmiter super firmam petram, quod portæ inferni non possint aduersus eam quomodolibet præualere, subijcimusque in nostris diebus & dicendis colla nostra doctrinæ Saluatoris nostri, ante cuius tribunal stabimus, de omnibus responsuri synceriter & fideliter eius optantes Discipuli esse, legi eius in omnibus & singulis obedire, prompti in spe ipsius mortis diræ potius sustinere supplicium, quàm electiue ali-

quid dicere aut asserere, quod foret Christi suæq;
 Ecclesie ueræ sponsæ, sententijsq; doctorum se ue-
 raciter in lege ipsius fundantium contrarium uo-
 luntati, in super protestamur, quod per defensionem
 punctorum, in quibus à parte nobis aduersa impu-
 gnatur, & per nostram pro eisdem oppositionem
 non intendimus derogari alicui scripturæ sacræ, nec
 aliquem sanctum doctorem, aut aliquam aliam per-
 sonam confundere in sententiâ fundata ueraciter
 in eadem, sed aspicientes & considerantes multorū
 fidelium hominum pro his punctis, uexationem ac
 horrendam hereticationem ac incinerationem mul-
 tarumq; traditionum humanarum legem Christi
 impediendum, restringentium, ac onerantium æ-
 qualiter cum lege aut ultra legem magnificationem
 & appretiationem toto conatu nostro egimus &
 adhuc agere intendimus, ut huiusmodi pericula à
 cunctis Christi fidelibus declinentur, & quicquid
 humanum est legiq; diuinæ adiectum post pro hu-
 iusmodi habeatur, & quod diuinum est ab omnibus
 hominibus pro tali teneatur, ne Christus cum suis
 Apostolis in legis suæ traditione, & eiusdem obser-
 uatione tanquam insufficiens reputetur, & si per
 quempiam lege Dei praxi, Christi & Apostolica &
 Ecclesie primitiue concilijs doctoribusq; fundan-
 tibus, ueraciter se in eadem uerè docti fuerimus.
 Quod in aliqua excefferimus contra fidem aut cō-
 tra bonos mores aut ritus, quos primitiui Christiani
 cum

cum Apostolis ex doctrina Christi seruauerunt, aut ex qua uis circumstantia deuiare contingeret, parati sumus obedire ueritati & permanere cum illa, scientes, quia ueritas super omnia uincit. Ex quo patet nos obstinatos non esse in his quæ tenemus. sed si quis nos de uiosa fide modo iam dicto probare poterit, parati sumus credere ueritati.

SUPPOSITIONES PRO OMNIBVS
per nos infra dicendis.

CAPVT III.

QUA protestatione præsupposita, quia omnem fidelem necesse est à Christo Iesu incipere, tanquam à primo principio per se noto, ideo ab illo incipientes optantesque humiliter, ut omnipotentis Dei magnificentia huius nostri operis exordium protegat, medium dirigat, & eius finem ad suam & omnium sanctorum laudem & honorem perducatur, istas præmutimus suppositiones quarum prima est ista.

Suppositio prima. Christus Iesus est unus legislator optimus, Iac. 4. Dominus noster & legislator noster Esa. 33. & fundamentum totius sententiæ, quæ pertinet Christiano 1. Cor. 3. in quo pater sibi complacens ipsum audire præcepit Matth. 17. estque metrum et mensura infallibilis, penes quam attendi
B 2 debet,

debet, quodcunque aliud illegitimum uel legale. Quem securissimum est in omnibus fidem & uitam Christianam ac mores concernentibus imitari, ipsumq; primum & maximè attendere.

Suppositio secunda. Lex Iesu Christi, quæ est lex Euangelica excedens legem ueterem & alias leges in breuitate, & Sacramentorum paucitate ac modi implendi facilitate se sola est sufficientissima, ad regimen Ecclesie militantis, ultra quam homo non indiget pro sua uiatione ad patriam addere aliquam nouam legem, cum illa perfectè executâ docet rectissimè, quomodo omnis iniusticia debeat à Republica extirpari, & quomodo offendens in legem debeat castigari, & quomodo quæq; iustitia Christiani foueri debeat, & finaliter præuicari, in qua sine possibilitate deceptionis & hoc habere possumus, quid debemus credere & sperare, & quomodo debemus, tam nosmetipsos, quam Rempublicam informare, qualem decebat nobis tradere Christum Iesum, & qualem nullus hominum præter eum potuit condere, quæ uniuersaliter sit coaptata omni homini, omni statui & conditioni congruens in omni loco & in omni tempore sine omni exceptione seruanda, quæ non sufficientissimè in lege prædicta includatur.

Suppositio tertia. Nomine fidei sunt intelligende ueritates credende à fidelibus primariè designatæ per ea, quæ scripta sunt in canone Biblia, &

uerita-

ueritates credendæ incuitabiliter, & directè deducibiles in easdem. Quicquid autem nec per easdem ueritates specificatum est, nec ex iisdem inferri, ut præmittitur, potest, illud pro adiecto humanitus est habendum.

Suppositio quarta. Quamuis dicta Sanctorum doctorum post Apostolos non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam sunt acceptanda, tamen sententiæ eorum suscipiendæ sunt hic auiantibus & admittendæ de quanto in ipsis Christus loquitur, & de quanto uerè & directè fundari poterint, in lege expressa Domini nostri Iesu Christi, cum sancti doctores aliquid dicant conditionaliter, aliquid opinatiuè siue probabiliter, & aliud asserunt supra opinionem tanquam fidem, & aliud contentiosè & reprobatiuè, hæredicantes & condemnantes se, & aliquando contingit eos æquiuocare.

Suppositio quinta. Quamuis corpus Christi mysticum pro tempore legis ueteris tanquam puella iuuenis fuit signis sensibilibus multipliciter instruendum. Crescente autem Ecclesiæ ætate pro tempore legis gratiæ non est ad signa huiusmodi taliter attendendum, ueruntamen cum Christus signa quædam approbet, licitum est uti aliquibus ceremonijs, quàm diu religio uiatorum est imperfecta, cum moderamine tamen, dummodo in talibus caueatur nimia appreciatio, inutilis occupa-

tio eorundem multiplicatio, ad eas infundabilis obligatio seu indissolubilis cum iisdem dispensatio, & aliquid numinis ipsis ascriptio, earum æquæ cum lege uel ultra legem magnificatio, & cum illis Ecclesiæ ultra legem ueterem oneratio, quam Christus à signis huiusmodi tempore legis gratiæ liberam esse ordinauit, cum nulla talia priuata statuta sunt licita, uel à populo obligatorio admittenda, nisi de quanto sunt media facilitantia ad obseruantiam legis Christi.

Suppositio sexta, aliqua humanitus adinuenta sunt non propter efficientiam, sed propter representationem & significationem tantum, quæ longè aliter se habent, quàm ea, quæ ob eandem causam in lege scripta sunt.

Suppositio septima. Sacerdotes omittentes ritus humanitus legi Christi post adiectos, eandem restringentes, impediētes, diminuentes ac onerantes in hoc cæteris paribus non peccant.

Suppositio octaua. In Euangelio Iesu Christi plenius, autoritacius & moderatius omnis ueritas à fidelibus credenda & practicanda, & præsertim materia sacramentorum est decisa, quàm in moderna Romana curia in cuius fide, sensu, ritu, & auctoritate prætensa illis sacramentis impertinentibus à multis hodie magnificantur & promouentur. Quin per sacri Euangelij diuiniſſimas ueritates, quæ sunt multæ lucidæ, & per se manifestæ, solidius omnes

VALDENSIVM.

omnes sententiæ confirmantur, fundantur, stabilius
& utilius ruminantur.

DE SEPTEM SACRAMENTIS EC-
clesiæ, quid in generali sentiamus.

CAPVT IIII.

Istis octo suppositionibus ex dono sapientiæ do-
centis in monte octo beatitudines pro fundamen-
to dicendorum præmissis, accedentes ad Baptis-
mum, Manuum impositionem, Cœnam dominicam,
Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium, & Infir-
morum unctionem, quæ uocantur communiter Sa-
cramenta. Circa ea duo aduertimus, Primum in-
stitutionem Christi, in quantum uidelicet à Christo
in sua puritate & substantia sunt instituta aut ex-
emplata.

Secundum sensus ipsis extraneos & impertinen-
tes ac ritus circa illa humanitus adinuentos, onero-
sos ad uenandum pecunias applicatos, ratione, quo-
rum Christi plebecula priuatur libertate legis Chri-
sti & totaliter subijcitur uoluntati & arbitrio An-
tichristi, & per quos modo doloso subditi coguntur
uoluntatem prælatorum exequi, quod si noluerint,
uariè torquebuntur, Quorum transgressio proh-
dolor hodie plus pensatur, quàm transgressio man-
datorum Dei in tantum, quod his sic introductis con-

tradicens tanquam manifestus hereticus publicatur, & secundum illum duplicem respectum doctores, quem circa dicta sacramenta habuerunt, uarie loquebantur, nunc ad unum respectum habentes nunc ad alium, ut secunda parte huius patebit, de quibus quidem sacramentis, & si qua alia sunt in lege, quae eadem ratione deberent dici sacramenta, sicut aliquot ex his septem.

Primum & ante omnia in genere protestamur, quod in forma & autoritate sensuque Christi in fide ritu ac praxi primitiuae Ecclesiae, cuius rectores erant Apostoli, fuerunt & sunt capacibus multum utilia ac salubria antidota animarum, Non tamen sic simpliciter necessaria, quin aliquando sine susceptione talium in signo sensibili fiat salus, circa quorum quodlibet sentire ac firmiter tenere uolumus, quod sacra scriptura & doctores sancti fundantes se ueraciter & directe in eadem institutiue & preceptiue autorizant & ostendunt.

QVID IN SPECIALI DE QVOLIBET diuinorum Sacramentorum sentiamus.

C A P V T V.

M Agis autem circa praedicta sacramenta nos specificantes particulariter de quolibet eorum

rum quid teneamus omnibus & singulis hoc præ-
sens nostrum scriptum legentibus intentionem no-
stram per infra scripta innotescimus cum applica-
tione fundamentorum & probationū, quas ad hæc
ex fide scripturæ habemus, & testimonio antiquo-
rum sanctorum doctorum ueraciter se fundantium
in eadem.

De Sacramento Baptismi.

Quid sit, & ubi in fide scripturæ habeat funda-
mentum, quæ de eius sint necessitate, & quæ non:
& qualiter sacerdotes Thaboritici de ipso finaliter
sentiant.

Et primò, de Sacramento baptismi. Quod est
primum Sacramentum? Mediante quo Deus princi-
paliter confert gratiam sacramentalem, primam
spiritualiter generantem, cum sit signum generati-
onis spiritualis in Deo, istud ex fide scripturæ tene-
mus, & corde synceriter confitemur: Quod SA-
CRAMENTUM Baptismi est ablutio hominis per
aquam facta ab alio, Verba præscripta à Christo de-
bitè proferente, significans efficaciter abluitionem
animæ à peccato, quod expressum in Euangelio ha-
bet fundamentum. Nam Christus tam uerbo quàm
opere docuit in se credentes sic baptizari uerbo,
quando Apostolis dixit, Matth. ultimo: Euntes ergò
docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Pa-
tris, Filij, & Spiritus sancti, opere, quando baptiza-
tus est à Ioanne in Iordane, Matth. 3.

Que

Quæ de necessitate Baptismi
sunt & quæ non.

De eius necessitate seu substantia sunt tria secundum Thomam, tertia parte Summæ q. 8. articulo primo, & M. Sententiarum in quarto dist. 3. & alios doctores concorditer, s. forma à Christo præscripta, quæ designat principalem causam Sacramenti: Minister, qui est causa instrumentalis, & ablutio in aqua, quæ designat principalem Sacramenti effectum.

Vtilia autem circa ipsum profiteamur orationem, abrenunciationem, pedagorum fidelem curam & exhortationem.

Cetera uera omnia quæ in ritu baptizandi moderna obseruat Ecclesia sunt præter necessaria, seu non de necessitate aut substantia ad Sacramentum baptismi requisita. A quibus multicapiunt occasionem erroris & superstitionis, & secundum aliquos, ut refert Thomas super. dist. 6. 4. Sent. non aliquid efficientia, sed solum significantia, quod efficitur in Baptismo, in quorum confirmationem antiqui posuerunt metra exprimentia ea, quæ non de substantia Sacramenti baptismi sunt sub his uerbis.

Sal, oleum, Chrisma, cereus, chrismale saliuæ efflatus uirtutem, baptismatis ista figurant. Hæc cum patrinis non iuuant esse, sed ornant.

Istos nos omnia pensantes omisit pluribus ritibus consuetis circa Sacramentum baptismi ad onus Ecclesie

clesie extra fidem scripturæ manifestè supra fideles
 subditos ab Antichristo cumulos, Sacramentum
 baptismi exercemus in aqua simplici secundum for-
 mam à Christo præscriptam cum oratione, abren-
 nunciatione, fidei interrogatione & exhortatione,
 scientes illis circa hoc esse utilia, honesta, licita, &
 in fide scripturæ fundabilia hoc publicè corã omni-
 bus profitentes, quod Sacramentum baptismatis
 observatis ijs, quæ ex fide scripturæ, ad eius requi-
 runtur necessitatem, & circa ipsum sunt utilia ex-
 emplo Apostolorum & Ecclesie primitivæ in Chri-
 sto, quam ipsi gubernabant, potest licitè, verè, &
 liberè, loco & tempore oportunis exerceri, sine ex-
 orcismis & patrinis, sine chrismate & oleo ab epi-
 scopis prius consecratis, & sine trina immersione
 in aqua à Sacerdote modo consueto non benedicta,
 & sine alijs ritibus consuetis à curia Romana insti-
 tutis, & quandoq; nimum solenni, satis & pensa-
 tis, &c. Sequitur de Sacramento manus impositio-
 nis.

DE SACRAMENTO MANVS IM-
 positionis in fide scripturæ ha-
 bente fundamentum.

CAPVT VI.

POST hæc accedimus ad Sacramentum manus
 impositionis, quod est signum spiritualis ro-
 boris,

boris, ex qua manuum impositione gratia fit à Deo. Dicitur enim communiter, quòd quia paruulus in Christo per baptismum genitus, est nimis debilis in uirtute, ideò supra baptismum quo baptizantur homines licitum est manuum impositionem Apostolicam superaddi, quia cum corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, & hi sunt actus diuersi, diuersas habentes difficultates, ideò oportuit ad utrumq; specialem dari gratiã uel gratiæ statum, ideò ad primum inquirunt, actum, institutum est Sacramentũ baptismi, & ad secundũ actum fiebat manuum impositio, quia manuum impositio fiebat ad significandum & designandum aliquem copiosum effectum gratiæ factæ à Deo. Nam illis quibus manus imponitur, quodammodo cõtinuantur per quãdam similitudinem ministris, in quibus esse licitè potest. Quemadmodũ cum quis proximos in bono opere infirmari conspiciens eis tota uirtute succurreret, & exemplo suæ operationis illorum uitam roboraret iuxta illud Matth. 16. Super egros manus imponet & benè habebunt. Quod Sacramentum expressè in lege Christi exemplatur. Scribitur enim Matth. 10. Quomodo Christus complexans paruulos et imponens manus super illos benedicebat eis. Ecce hic habes exemplationem manus impositionis in Christo, & actus Apostolorum satis ostendunt manus impositionem exemplatam esse in Apostolis, ex quo ipsi Apostoli conuersis ad
fidem

fidem baptizatis manus imponebant, ut acciperent Spiritum sanctum uidelicet actuum 8. & 19. cap.

Nullus ergo debet ambigere, quin Apostoli manuum impositionem à Christi exemplatione didicerint. Ex quo post ipsius ascensionem illam erga conuersos ad fidem exercuerunt. De qua manuum impositione illud catholicè tenemus & corde sinceriter confitemur, quod licet eius in Apostolis sanctis habemus exemplum, nullibi tamen in scriptura adhuc inuenimus de faciendo ipsam ex obligatione præceptum: intentione tamè & ritu Apostolico factam cæteris paribus salubrem esse & utilem confitemur. Quod si cui placet, potest exemplo Apostolorum implorando baptizatis Spiritum sanctum manus eis operatrices imponere, oues morbidas cõfirmando recolens illud Luca 22 dictum Petro. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, cum in signum huius act. 8. legimus, quod Petrus confirmando imposuit eis manus.

DE CHRISMATE, QVOD NVNC
uocant Sacramentum Cõfirmationis
carente scripturæ fundamento.

C A P V T V I I.

Initio autem Chrismatis prius ab Episcopo consecrati, quod ex oleo oliuæ & balsamo cõficitur hominis uiatoris baptizati in fronte, in figura
crucis

crucis in hac forma uerborum: Consigno te signo sancte crucis, confirmo te signo salutis, in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Quam cum alapizatione & capitis ueste linea circumplexione, & alijs ritibus & sensu modò consuetis nunc communiter uocant Sacramentum confirmationis, non uidetur nobis, quod sit instituta à Christo, nec ab eius Apostolis. Christus enim exemplar totius Ecclesie non fuit in persona sua taliter confirmatus, nec in baptismo suo Chrisma huiusmodi, sed simpliciter aquam requisiiuit, ut Doctor scribit Euangelicus (VVicleph) in tractatu de monte, nec alicubi expresse in lege ipsam legitur tradidisse, & cum, ut communiter inquirunt, in confirmatione datur Spiritus sanctus ad robur, sed quia uidemus quòd Spiritus sanctus datus est Apostolis ad robur actuum 2. & alijs fidelibus actu. 3. sine materia huius Sacramenti iam usitata. Ergo non uidetur institutum à Christo. Apostoli etiam confirmabant sola manuum impositione sine omni predicta materia uidelicet actu. 8. Ergo non uidetur hoc Sacramentum ab Apostolis esse institutum. Hinc Thomas loquens de institutione huius Sacramenti de quibusdam refert, quòd aliqui dixerunt hoc Sacramentum non esse institutum à Christo nec ab Apostolis, sed post in processu temporis in quodam concilio, & ad idem est Petrus de Tharantho, qui supra quartum Sententiarum tractans, à quo Sacramentum

mentum illud Confirmationis sit institutum, sic scribit.

De quibusdam aliqui dixerunt, quod ab Ecclesia, quæ primò legitur ipsius ritum solennem instituisse & præcepisse, & per hoc clariùs significandum in Chronica: Flores temporum.

Calixtus quindecimus anno Domini 218. legitur instituisse Cõfirmationem fieri cum Chrismate, quæ prius fiebat cum manuũ impositione sine Chrismate, & adhuc in huius maiorem confirmationem super illo 4. Sententiarum distinct: Scribitur quod confirmatio haberet ortum ab Apostolis. Quædam glossa sic habet:

A quibus scilicet Apostolis etiam ortum habuit quantum ad manus impositionem, sed quo ad Chrismationem, ortum habuit ab institutione Ecclesiæ: Ecce quot testimonia lucida ad hoc, quod hoc Sacramentum confirmationis modo institutum, usitatum, quantum ad chrismationem & ceteros ritus solennes humanitus & infundabiliter, quo ad fidem scripturæ introductos, non sit à Christo, nec ab eius Apostolis institutum, nec ab eis ortum habet nobis specificatum & traditum notabiliter in scriptura. Et hoc est quod adhuc in maiorem huius confirmationem Doctor Evangelicus in quarto tractatu sui Trialogi loquens de hoc Sacramento promittens, quod nimis leuis uidetur esse, huius Sacramenti in actu Apostolorum, de quo scilicet actu. 8. habetur

C institu-

institutio. Facit plures persuasiones per hoc, quòd hoc Sacramentum, quod ad talia, quæ dicta sunt ab Apostolis nõ processit, quæ loco suo in secunda parte huius inferentur.

DE SACRAMENTO DOMINICI
corporis & sanguinis seu Cœnæ domini-
cæ, ubi fundatur in fide scriptu-
ræ, & quid sit.

CAPVT VIII.

IAm post Sacramentum Baptismi & manus im-
positionem restat de tertio Sacramento, scilicet
de Sacramento dominici corporis & sanguinis
seu Cœnæ dominicæ pertractandum, quæ illa tria
Sacramenta sunt continua. Nam per gratiam Ba-
ptismi à peccato mundamur, per gratiã manus im-
positionis in bono ad pugnam roboramur. Ipsa au-
tem gratia Sacramenti dominici corporis & san-
guinis gratiam Baptismi & manus impositionis nu-
trit & augmentat. Cùm Sacramentum dominici
corporis & sanguinis sit signum ex diuina institu-
tione deputatum ad significandum efficaciter spiri-
tualem nutritionem hominis in Deo, quæ assistente
uita spiritalis conseruatur, & quæ deficiente de-
ficit, dicente ueritate Iohan. 6. Nisi manducaueritis
carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem
non habebitis uitam in uobis.

Quod

Quod Sacramentum cætera excellens multipli-
 ceter ex alibi declaratis expressum in Euangelio ha-
 bet fundamentũ, & uera fides eius ponitur Matth.
 26. Marc. 14. & Luc. 22. 1. Cor. 10. & 11. Cap. De
 quo istud ex fide scripturæ tenemus, & corde syn-
 ceriter confitemur, quòd panis, quem Christus in
 sua cœna accipiens, suis ad manducandum dedit dis-
 cipulis, & in eius digna perceptione per ministeri-
 um fidelium Sacerdotum reliquit memoriam suæ
 passionis, est in natura sua uerus panis, qui pronome
 Hoc demonstratur. In hac propositione Sacra-
 mentali, hoc est corpus meum, & cum hoc uerum
 corpus Christi de uirgine sumptũ & pro nobis tra-
 ditum, non identicè, non de materiali identitate in-
 telligendo, sed sacramentaliter, realiter, & uerè, qui
 propter sui habitudinẽ ad corpus Christi in sibi de-
 bita habendus est reuerentia, & fideles illum uene-
 rantur, non ut est panis substantia, sed de quanto ut
 præmittitur est corpus Christi, cuius uerum corpus
 in eodem esse ueraciter, sacramentaliter, & spiritu-
 aliter est credendum. Non aut cum omnib. proprie-
 tatibus, tam essentialibus, quàm accidentalib. conse-
 quentibus ipsum, idẽ corpus Christi in cœlo in dex-
 tera Dei sedens, nec ad sensum ponentium corpus
 Christi taliter ibi esse, quòd ille modus præsuppone-
 ret, desitionem substantiæ panis & conuersionem
 substantialem ipsius in corpus Christi. Ad quod
 omnis fidelis in mente debet attendere suspen-
 C 2 conside-

consideratione circa naturam materialis substantie Sacramenti, cū sollicitudo fidelium uerè adorando, genua flectendo & cogitando esse debeat in imitatione saluatoris nostri, & deuotione ad eius corpus quod sursum est, & quod etiam modo prædicto est in ipso uenerabili Sacramento, & proportionabiliter de Sacramento calicis sentiendum esse. Qualiter autem nos habeamus circa celebritatem huius Sacramenti patebit infra, cum de missæ officio materia differetur.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE, quid uidelicet Pœnitentia sit, & quotuplex, & ubi in Euan-
gelio habeat fundamentum.

C A P V T I X.

IAM restat de Sacramento pœnitentiæ pertrahendum, unde quia uiatores sæpe decidunt spiritualiter infirmati, idè pœnitentia ad resurrectionem hominis & spiritualiter pro peccato delendo, ordinatur, quæ homini lapsò est necessaria. Quia sicut per peccatum fit recessus à Deo, sic per pœnitentiam est regressus ad eundem, & per consequens est initiū boni hominis pœnitentis, & propter hoc Christus & suus præcursor ambo suos sermones

mones à pœnitentia inchoarunt, uidelicet Matth. 3.
 & 4. Cap. Ita & Apostoli pœnitentiam docuerunt,
 quemadmodum patet de Petro Act. 2. & sic ex-
 pressum in Euangelio habet fundamentum, & pœ-
 nitentia est forma qua contritus formaliter dicitur
 pœnitere, & sic uidetur pœnitentia in mente con-
 sistere, alie uerò, quæ uocantur partes pœnitentiæ,
 ut contritio, exterior oris confessio & satisfactio,
 sunt, ut sic, sibi accedentia, ipsam communiter com-
 plentia, & sic est multiplex pœnitentiæ aggrega-
 ta. Prima solùm est in animo & insensibilis, qua
 contritus Domino insensibiliter confitetur. Illa au-
 tem licet sit paruipensa, est tamen uirtute maxima,
 sine qua alie nihil ualent.

Secunda uerò est aggregata ex illa, & expressi-
 one uocali singulariter facta Deo uel cuicumq; in-
 differenter fideli, & sic tam Patres ueteris legis,
 quàm Patres noui Testamenti cõmuniter sunt con-
 fessi.

Sed tertia est pœnitentia aggregata ex duabus
 prioribus & promulgatione secreta priuato facta
 presbytero, & ad istam pœnitentiam magis atten-
 ditur propter lucrum.

CONFESSIO AVRICVLARIS PRI-
 uata non est simpliciter necessaria
 ad salutem.

C A P V T X.

C 3

Vtrum

Vtrum autem ista Pœnitentia tertia iam dicta, est de necessitate salutis, uel qua auctoritate introducta fuerit, est dissensio apud multos: sed oportet credere Ioanni de Deo in hac parte, qui in glossa ordinaria Decretorum dicit:

Post multas opiniones, quas reprobat Innocentius tertius, hanc inuenit, & pro eius confirmatione hanc legem statuit:

Omnis utriusq; sexus, qui in quinto Decretalium expressatur, & uidetur, quod foret Ecclesie utilis, ut de prædicta prima Pœnitentia & secunda cõtenditur: Aliquibus tamen quos Deus ad hoc præordinauit, taliter confiteri est utilis, cum multi ex erubescencia de confitendo peccatum commissum, & expletione Pœnitentiæ in mente cum timore aliàs confitendi à peccato communiter se præseruant.

Sed non credat quis, quin sine tali confessione auriculari priuata, stat hominem benè conteri & saluari, cum Petrus iniunxit generalem Pœnitentiam & suffecit uidelicet act. 2. imò aliter omnes mortui à tempore ascensionis Christi, usq; ad Innocentium tertium forent damnati, quod nefas est credere. Cum supponimus, quòd sub ista lege Papali plures dānantur, quàm damnati fuerunt sine illa, Et sic ista obseruatio huius legis Papalis potest admitti, de quanto discretio cōfitentis & cōfessoris iudicat sibi ipsam proficere. Non aut̃ ratione huius dictæ institutionis Papalis. Ex quibus patet quàm infundabiliter & temerarie

merariè istam cōfessionem auricularem modernam
 audent quidam, plus quàm oportet, magnificare, do-
 centes publicè & scribentes, quòd sit ex fide tenen-
 da sub poena aeternae damnationis, cum scitur ex fi-
 de, quòd si in Baptismo & Eucharistia, quae sunt Sa-
 cramenta expressa in Euangelio contingit Deum
 dare rem Sacramenti sine Sacramento sensibili, ut
 concors tenet doctorum sententia. Ergò multò ma-
 gis sine ista confessione non sic fundabili. Assum-
 ptum patet de baptismo fluminis & sanguinis, quae
 saepè dantur sine baptismo fluminis, & rem Sacra-
 menti Eucharistiae saepè accipit quis sine Sacramen-
 to sensibili. Ideò euidentius quis accipit absolutio-
 nem criminis à Deo, sine absolutione sensibili Sacer-
 dotis, & uidetur contrarium rationi, quòd Deus ne-
 cessitaretur dare potestatem suo inimico graui &
 inscio tractandi suum amicum secundum legem An-
 tichristi contrariè.

Nam Romanus Pontifex est saepe Deo contrari-
 us & maximus Antichristus, & idem contingit se-
 cundum plus uel minus de alijs confessoribus haben-
 tibus suas potestates à Romano Pontifice singulari-
 ter deriuatas.

Idem fieri secundum Chrysostomi de opere im-
 perfecto sententiam: Cogitationis peccatum cōtra-
 ria cogitatione dissoluitur, Propheta dicente: Quae
 dicitis in cordib. uestris & cubilib. uestris cōpun-
 gimi, & uerborū peccatū rerū satisfactiōe deletur.

Qualiter Aaron cum detraxisset Moysi uadens uerbis rogauit, & operis peccatum rerum satisfactio-
ne detergitur, exemplo Zachæi, qui dixit: Si quid
defraudauit, reddo quadruplum. Tunc Papa Lati-
nus deberet erubescere de ista moderna pœnitentia
sine fundatione, Cùm non licet mortalibus etiam
Apostolis difficultare legem Domini, ultra quam
ipse limitauit. Sapientia autem diuina Hebreo-
rum & sapientia Græcorum derident istam stulti-
tiam Latinorum.

Istis omnibus de Sacramento pœnitentiæ præ-
missis de ipsa pœnitentia ex fide scripturæ tenemus
istud, & corde syncriter confitemur, quòd homini
lapso pro peccato delendo est necessaria, iuxta id
Lucæ cap. 13. Si non pœnitentiam egeritis, omnes
simul peribitis: Et quod ad medelam animarum,
quæ spiritualiter infirmatæ deciderunt & deci-
dunt, pœnitereq; nolunt, præsupposita pœnitentia
in animo simpliciter necessaria ad salutem, qua con-
tritus Domino insensibiliter confitetur, & cum ex-
pressionè quãdoq; uocali singulariter sibi facta, uel
cuicunq; indifferenter fideli à prudentioribus re-
quirens consilia iuxta informationem beati Iacobi
& praxin Ecclesiæ primitiue, adiunctis quandoq;
salutaribus remedijs ieiuniorum, elemosinarum,
orationum aliorumq; operum bonorum. Ad quæ
omnia, tanquam ad eandem ex fide scripturæ utilia,
siue necessaria, nos hortamur, sufficit, prout quon-
dam

dam sufficit sine confessione auriculari tantum,
facta priuato presbytero iuxta formam & obliga-
tionem Innocentij & curiæ Romanæ modernæ, &
sine forma usitata absolutionis & pœnitentiæ, in
numero, pondere & mensura, secundum uolunta-
tem confessoris iniunctione, quæ humanitus & in-
fundabiliter, quo ad scripturam sunt introducta &
non de necessitate pœnitentiæ requisita, non salu-
tem animarum, sed plus & frequenter symoniam
& cleri excellentiam promouentia.

DE SACRAMENTO ORDINIS,

Quid est, & unde cœperit origi-
nem, & quid de eo Catholicè
sit sentiendum.

C A P V T X I.

IAm restat tractandum de alijs duobus Sacramen-
tis, unde quia Ecclesiam oportet habere duas
manerias, id est, duo genera hominum, gene-
rantium scilicet spiritualiter & corporaliter, ideo
sunt duo Sacramenta ad pacies habent alia exem-
plaria patres huiusmodi pertractandum. Primum
est ordo, cuius sacramentum est ad presbyteros pro
creandum, de quo præsens nunc erat sermo, de illo
ergo ordine ex fide scripturæ tenemus, & corde syn-
ceriter confitemur, quod quantum ad propositum
sufficit, uocatur potestas data à Deo homini idoneo,
C 5 ministerio

ministerio humano quodam quandoq; concurren-
te, ad debite, differenter à Laicis sacramentaliter
Ecclesiæ ministrandum, cuius exordium in noua le-
ge fuit à Christo. De cuius Sacramento istud confi-
temur: quòd non ex fide scripturæ, sed ex consuetu-
dine habetur Ecclesiæ, quòd ordo à solis tantum
Episcopis conferatur intelligendo, Episcopum plus
sacramentalis, essentialis authoritatis habere, ultra
alios uiros & simplices Sacerdotes, circa cuius cele-
brationem utilia confitemur, orationem, ieiunium
& diligentem de habilitate electi examinationem,
Literas autem testimoniales, manuum unctionem,
zona, ambullæ in manus dationem & alia, quæ cir-
ca hæc præter expressam fidem scripturæ commu-
niter obseruantur, confitemur non de substantia seu
necessitate ad ordinem requisita.

DE SACRAMENTO MATRIMONII,
Quid uidelicet est, ubi fundatur, &
quid de eo Catholicè sit sen-
tiendum & tenendum.

CAPVT XII.

IAM de Sacramento alio, uidelicet matrimonio
est tractandum, quod ordinatur ad Patres cor-
poraliter generandum, quod licet non sit signum
immediatum ad procreationem hominis natura-
lent.

tem, est tamen signum efficax, per quod notatur sine peccato luxuriæ, licere inesse naturalis hominis procreare, de quo istud ex fide scripturæ tenemus & corde sinceriter profitemur, quod matrimonium est coniugium, legitima copulatio, indiuiduam uitæ consuetudinem retinens, qua secundum legem Dēi, licet eos filios sine crimine procreare.

Ordinavit enim Deus, quod Adam & Eva, & per consequens cuncti duo coniuges de lege communi in procreatione corporali taliter copulentur. Vnde Matthei decimo nono CHRISTVS sic determinat sententiam istam contra Scribas & Phariseos ab ipso quærentes, concludens: Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.

Quod matrimonium exercendum legitime in personis idoneis & capacibus liberè profitemur, suadentes tamen, ut nubere uolentibus lasciuia, temeritas, parentum inobedientia, ceteræq; præordinationes præcludantur. Circa cuius celebrationem utilia profitemur, orationem, ieiunium, & amborum debitam circa hoc instructionem & proclamationem, manuum autem complicationem, & earum stola circumpositionem & alia, quæ circa hoc consuetudine humana præter expressam scripturæ fidem communiter obseruantur, dicimus non de substantia seu necessitate ad matrimonium requisita.

DE INFIRMORVM VNCTIONE IN
fide scripturę habente fundamentum,
ubi uidelicet exemplatur & quid
de ea Catholicè sentiendum.

C A P V T XIII.

Iam restat ulterius tractandum de unctiōe in-
firmorum, quę expressè legitur in lege Euan-
gelica exemplata Marci 6. & Iacobi 5. Quia ex
quo beatus Iacobus dicit de ista unctiōe olei, quod
a poscentibus fiat infirmis, & Marcus dicit Aposto-
los sic fecisse, euidentis est, quod unctiō infirmorum
in Apostolis Christi est exemplata.

De ista ergo infirmorum unctiōe istud ex fide
tenemus & corde sinceriter profitemur, quod infir-
mi poscentes possunt licitè oleo unctiōis competen-
ti, quod ualeret ad corporis sanitatem, ad intentio-
nem & finem & effectum per Apostolos memora-
tum inungi, intentioneq; & ritu Apostolico uncti-
onem talem factam salubrem fore & utilem profi-
temur, scientes, quod tempore Christi & Apostolo-
rum pro necessitate & corporis alleuiatione in si-
gnum charitatis & pietatis ungebantur, non tan-
tum infirmi, sed sani corpore, & non solum ab Apo-
stolis, uerum & ab alijs quibusuis indifferenter fi-
delibus, uidelicet de Maria Magdalena Ioannes 12.
quę unxit Iesum, ex cuius unctiōnis defectu Chri-
stus arguit Phariseum, se & eam iudicante, Lucę.

De extrema unctione infirmorum modo
 usitata, quam ultimum dicunt esse
 Sacramentum, carente ut uide-
 tur, Scripturæ fundamento.

Unctio autem infirmi, in determinatis partibus
 cum oleo oliuæ ab Episcopo prius consecrato & sæ-
 pe usq; ad corruptionem retento ministrata à Sa-
 cerdote, uerba cum ipsius intentione proferente,
 iuxta formam & sensum usitate Ecclesiæ. Quam
 communiter uocant Sacramentum extremæ uncti-
 onis, ipsum in dicto Iacobi Apostoli fundare niten-
 tes, non uidetur instituta esse à Christo, nec ab eius
 Apostolis.

Hinc doctor Euangelicus (VVicleph) in suo Tri-
 alogo, loquens de hac extrema unctione dicit: sed
 ista uidetur nimis leuis in uerbis prædictis Iacobi A-
 postoli fundatio Sacramenti, cum dici potest satis
 probabiliter, quòd iste scilicet Apostolus non speci-
 ficat infirmitatem finalem, sed consolationem sien-
 dam à presbytero, dum aliquis infirmatur. Et quia
 per uiam naturæ oleum abundans in illis partibus
 ualet ad corporis sanitatem, ideo talem meminit un-
 ctionis, non quòd illud oleum agat in animam, sed
 quòd oratio effusa à Sacerdote deuoto mediat, quan-
 doq; ut Deus infirmanti animæ suffragetur, quia si
 ista corporalis unctio foret Sacramentum, ut modo
 fingitur, Christi & ceteri Apostoli eius promulga-
 tionem

tionem & executionem debitam non tacerent. Hæc ille.

Ex quo patere uidetur esse, quòd hæc unctio antedicta non uidetur à Christo, nec ab eius Apostolis instituta. Hinc est, quod Thomas tertia parte Summæ suæ de institutione huius Sacramenti loquens, refert de quibusdam quod aliqui dicunt, quod nec Christus nec Apostoli ipsum instituerunt, sed quod in successu temporis in uno Concilio sit institutum. Hinc inquit Iacobus de Missa bonæ memoriæ in uno suo tractatu scribit, Quòd Innocentius, qui uiguit anno Domini 404. statuit oleo ad usus infirmorum consecrato ab Episcopo, uti non solum presbyteris, sed etiam omnibus Christianis.

In historia autem Satyrice capite 18. 4. parte 2. scribitur, Quòd tempore imperij Iustini, Foelix natione Sabinus constituit, ut infirmi ante transitum ungantur oleo sancto, Ex quo uerisimiliter datur intelligi, quod nec Christus, nec Apostoli illam dictam unctionem statuerunt, cum Christus nullibi hoc Sacramentum exhibuit uel ipso est usus, teste Thoma tertia parte Summæ, questione uigesima nona, articulo secundo, in responsione principali. Ergo non uidetur ipsum per se instituisse, nec etiam dici debet, quod esset ab Apostolis institutum, cum idem Thomas ibidem quæst. 72. art. 9. instituere nouum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo, nec Dionysius

in libro de Ecclesiastica Hierarchia tractans de Sacramento aliquam fecit mentionem de extrema unctione, uidelicet intuenti, nec est de necessitate huius Sacramenti, quòd oleum prius ab Episcopo consecretur uel Chrisma ad confirmationem. Quia arguit Thomas tertia parte Summæ q. articulo 3. uerè. Licet postea respondendo ad intentionem modernæ Ecclesiæ Romanæ declinet, Baptismus in quo fit plena remissio peccatorum, non est minoris efficacie, quàm hæc duo prædicta Sacramenta, sed non est de necessitate Sacramenti Baptismatis, ut aqua benedicatur, uidelicet in casu necessitatis. Ergò nec est de necessitate istorum sacramentorum, scilicet confirmationis & extremæ unctionis, ut Oleum & Chrisma sint per Episcopum benedicta.

Iustum de omnibus Sacramentis petitur, inter nos, & partem nobis aduersam fieri iudicium.

Ex istis iam omnibus supra scriptis quilibet potest sensum & intentionem nostram circa prædicta omnia septem sacramenta cognoscere, quid particulariter de quolibet eorum teneamus et sentiamus, iudicareq; potest, quòd non sumus, ut quidam æmuli nobis asscribunt, hostes & inimici dictorum sacramentorum, in quantum à Christo sunt instituta, sed

sed amatores, quibus pensatis & cognitis omnes & singulos hortamur, ut iuste iudicent inter nos & partem nobis aduersam, si contra fidem scripturæ peccamus, tenentes & confitentes de istis septem sacramentis, hoc quod de ipsis est ex fide scripturæ tenendum & confitendū, & nō autoritatizantes, nec sic, ut ipsi magnificantes omnem sensum modò usitatum, communiter circa prædicta Sacramenta & ritus, circa administrationem eorum humanitus & infundabiliter extra fidem scripturæ manifestè supra Christum & eius Apostolos introductos.

DE OFFICIO MISSAE SEV COENAE
Dominicæ, quid uidelicet Missa propriè
dicitur, & qualis fuit primis tempo-
ribus, & quæ de eius necessi-
tate & quæ non.

C A P V T X I I I I

IAm accedimus ad alium punctum in quo à nobis aduersantibus discrepamus, uidelicet ad officium seu ritum Missæ, quæ circa commemorationem coenæ Dominicæ peragitur, quam moderni communiter uocant Missam. Nostram circa hoc exprimentes intentionem, ubi primò & ante omnia præsupponimus, quod nomine Missæ illud uidelicet, quod de conse. dist. 2. uerum in fine sub authoritate Augustini dicitur,

dicitur, Missa proprie est Eucharistiæ consecratio. Reliqua uerò quæ Sacerdos dicit aut Clerus chori canit, nihil aliud, quàm laudes & gratiarum actiones sunt, aut certè obsecrationes fidelium & petitiones.

Ex qua suppositione elicitur, quod ritus missæ di continet in se duo quædam, quæ sunt de substantia seu necessitate ipsius, & sine quibus non fit Missa, ut sunt debita materia panis & uini, certa forma uerborum, ordo sacerdotalis, intentio debita, Sacramentum consecrandi, & fides debita de ipso Sacramento, & si qua alia sunt. Ad hoc ex Christi institutione requisita, alia sunt accidentalia ipsi Missæ, seu cœnæ Dominicæ, Quæ obseruatis his, quæ sunt de eius substantia & necessitate, salua fidei ueritate, reuerentia, & deuotione debita ex certis circumstantijs, sine peccato obmitti possunt, & illa sunt omnia alia, quæ Sacerdos dicit, aut Clerus chori canit. Præter illa, quæ dicta sunt, præsupponimus, secundum illud Bernhardi in suo rationali & Gulielmi Episcopi Vilmadensis in suo rationali, & archidiaconi glossatoris decreti, de consecratione dist. 1. Iacobus super uerbo Missæ celebrationem, qui in unum conuenientes scribunt, quòd in primis Missa in uestibus communibus, solum cum forma uerborum Sacramentaliũ, scilicet, hoc est Corpus meum, celebrata fuit, deinde additum fuit per Petrum seu Apostolos, Pater noster, & hoc inquit, significat

ficat officium diei Veneris circa altare, quia incipitur à Pater noster à Sacerdote ministrante. Post hoc inquit fuerunt addita ab ipsis Apostolis lectio Evangelij & Epistolæ. Ad cuius, inquit, significationem die Sabbathi sancti officium Missæ incipit à prophetijs siue lectionibus. Deinde inquit, successores eorum alij cantum & alia addiderunt, & hodie in rationali VVilhelmi prædicti legitur in Ecclesia Lateranensi Romæ in Missa non dicitur aliqua alia oratio, nisi oratio dominica, in signum quod inquit, in primitiua Ecclesia sic fiebat.

Nam ut in Chronica Isidori minori ex testimonio Hugo libro 2. de Sacramentis parte octaua legitur: Petrus Apostolus post ascensionem Domini tenuit sacerdotalem cathedram in partibus orientis annis quatuor, & primo anno primam Missam celebravit dicendo tantummodò Pater noster, cum quibus concordat M. Iacobellus bonæ memoriæ, qui in dicto suo tractatu ita scribit, quòd olim Sancti missando conficiebant cõmuniter sine uestibus exterioribus, id est ad hoc consuetis, & consuetudine & ad inuentionem hominum deputatis, & sine ritu longo modo Sacerdotibus usitato, & in hoc non peccauerunt, cum tunc maxime in omnibus agendis & præcipue circa procurationem salutis animarum, circa consecrationem & ministrationem sacramentorum Dei spiritu agebant, ubi ex antiquorum de post deducit testimonij quod usus uestium talium exteriorum &

iste

iste modernus ritus longus circa missationem modo
 obseruatus post multa curricula annorum per pa-
 pas & homines iam longè ab imitatione Christi &
 eius Apostolorum declinantes, est excogitatus & in-
 stitutus & post præmittens B. Petri breuem missati-
 onem sic concludit: Ecce sanctus Petrus missationem
 & celebrationem suam circa diuinissimum sacramē-
 tum sic, curtè faciens nolens plus addere, reliquit hic
 exemplum posteris tanquam apostolus principalis.
 Hæc ille per totum. Istis præsuppositis tanquam
 ueris dicimus, quod iste ritus sacrificandi in signis
 & habitu alijsq; à curia moderna Romana consue-
 tis, quem quidem magistri Pragenses & Sacerdotes
 eis adherentes dicant legitimum & debitum, non
 est ille uel talis, qui tempore Christi & Apostolorū
 eius in Ecclesia primitiua obseruabatur, cum ex se-
 cunda suppositione istius materiæ pro tunc missa ali-
 ter perficiebatur, sed iste prædictus ritus magistro-
 rum, est ritus curiæ modernæ Romanæ à multis pon-
 tificibus Romanis longè post apostolos ab imitatio-
 ne iam Christi ipsiusq; apostolorum notabiliter de-
 clinantibus fabricatus, nullibi, ut uidetur, expressè
 scripturæ fundamentum habens, & per consequens
 quantum ad talia ritus Apostolorum nō est, nec ipsorū
 sanctorū discipulorū nec Ecclesiæ utilis, ut potest
 ex præmissis patere et testimonio Hugonis li. 2. de sa-
 cra. par. 9. et doctoris Euāgelici ca. ultimode aposto-

fia & Chronicarum diuersarum, qui omnes bre-
 uem missationem B. Petri præmittentes tangunt,
 qui postea Pontificum quæ & qualia in successu
 temporis ad illam addiderunt, & illum ritum mis-
 sandi sit longum & onerosum comportauerunt,
 propter quod nos, qui pro lege liberrima I E S U
 Christi per se sufficienti ad regimen Ecclesiæ mili-
 tantis sine ceremonijs legis ueteris & ritibus hu-
 manis, post adiectis offensiuis, diminutiuis & impe-
 dituiuis legibus eiusdæ nos exposuimus scientes, quia
 securissimum est & optimum Magisterium Eccle-
 siæ primitiue, quam regebant Apostoli actus imi-
 tari & approximari, quam tum sincerius Christo
 ac eius sanctis Apostolis, obseruareq; ritus circa cœ-
 nam Dominicam quos Christus obseruauit, & Di-
 scipuli sui non mutauerunt, nec in quoddam aliud
 interpretati sunt, quosq; Ecclesia primitiua Euan-
 gelio conuersans ex doctrina Christi & eius Apo-
 stolorum obseruauit, declinantes à ritibus Pharisæ-
 icis, Christi legem liberam stringentibus ac oneran-
 tibus, ac sponsam suam eius spoliantibus libertate,
 Cum illum ritum missandi Romanum, quem qui-
 dam Magistri Pragenses & Sacerdotes eis adhæ-
 rentes legitimum fore dicunt ac debitum licitè ac
 rationabiliter obmissimus, causis ex infra scriptis.

Primum, Quia ille dictus ritus Magistrorum
 est legis Christi liberè restrictiuus ac impeditiuus.
 Impedit enim promptitudinem fidelibus Sacramen-

ta ubilibet ministrandi nec congruit populo iam super crebra concione edocto, cum multa pars temporis mutiliter huius rei occupatione decurrit, ex quo populus redditur tædiosus, & indispōnitur ad dignam Eucharistiæ sumptionem, & Sacerdotes oportet negligere magis utilia, propter quorum omissionem timere deberent, ne eis obijciatur illud Saluatoris Matthei decimoquinto: Quare uos transgredimini mandata Dei propter traditionem uestram.

Secundò, sunt ibi mendaces prosa, legenda & multa incerta, imò multus tumultuosus cantus in lege Dei non fundatus. Leguntur quoq; ibi & canuntur multa in lingua peregrina, quod populus astans non intelligit, quod Dei mandatis obuiare uidetur. Quia ignorantes ignorabuntur, dicit Apostolus 1. Cor. 14. ubi dicitur: Si autem non fuerit interpres in Ecclesia taceat, Sibi autem loquatur & Deo, & est insania.

Secundum Apostolum ibidem cum Laici & Idiota non intelligentes nesciunt ad id quod non intelligunt, dicere Amen, qui melius quandoq; loquerentur uerba in sensu proprio, quam decem milia sic murmurant barbarizantes.

Tertiò, impossibile est secundum illum ritum quotidie missando passim legere legem secundum populi & temporis indigentiam, prout fiebat tempore Dionisij in Ecclesia primitiua, sed necesse est

per totam hebdomadam dominicalem resumere epistolam & euangelium, cum rara sint missalia plures epistolas & Euangelia continentia, contra quod uidetur precipi in Euangelio Lu. 12. quod prudens seruus & fidelis debet dare in tempore tritici mensuram, & matth. 13. Omnis scribe doctus in regno cælorum debet noua & uetera proferre, secundum quod necessitas populi exigit & reliquit.

Quarto. Per tunc ritum datur occasio pseudo-prophetis & idiotis pro uoluntate statum sanctorum occupare, qui ex pluralitate missarum extra ritum Ecclesie primitiue nutriuntur & elemosinis egenorum & substantiæ uiduarum pascuntur, & sic secundum prophetiam Christi & Danielis faciunt stare abominationem desolationis in loco sancto, ubi si ne his ceremonijs facilius nosceretur ex operibus iniquis, & non haberent tot media simplices fallendi, nec tot occasiones Sacerdotium usurpandi, que nocentissima occasio merito est tollenda exemplo Apostoli 2. Cor. 11. Quod facio faciam, ut amputem occasionem eorum, qui nolunt occasionem ut in quo gloriantur, tales inueniantur, sunt & nos. Nam huiusmodi pseudoapostoli, operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi. Deficiente enim Euangelizatione, quam Christus instituit, ut notat Doctor Euangelicus, necesse fuit, quod signa generationis adulteræ propter commendationem eius blasphemantia per apostatas sunt inuenta.

Quinto

Quintò. Hic ritus claudit reuerentiam uenerabilis sacramenti Eucharistiæ, & induxit abusum eiusdem sub una specie communicandi, & uerum huius usum obscurant multiplicando missas. Ex quarum multiplicatione populus in sola uisitatione sacramenti quiescebat, et ad huc pro maiori parte quiescit in illam spem salutis ponens, mandatum de manducatione & bibitione eiusdem paruipendens, & sacerdotes sese & populum impediunt pro eodem tempore in diuersis altaribus missantes. Quia nullus eorum, quæ dicenda sunt ibi ad populum, sine alterius retardatione potest pronunciare.

Sed non docuit Spiritus ueritatis in Ecclesia primitiua, ubi unus sacerdos conficiebat in omnium fidelium congregatione, ut elicitur ex Dionisio, & alij presentes in memoria mortis Christi, quæ est unica & sufficiens oblatio Sacramentum Eucharistiæ ab illo sumebant.

Sextò. Ille ritus tenet multitudinem signorum, quæ sunt multis occasio perfidiæ & superstitionum, & spiritualiter ibi sunt laquei simplicibus Sacerdotibus, qui uirtutem Dei more gentilium reponunt in characteribus & signis, quod uidetur esse occultus contractus & dispensatio cum demonijs est crimen nigromantiæ artis iustè & rationabiliter à Sancta Ecclesia condemnata. Et in multitudine tot signorū quæ dicunt multa bona significare, Quæ communi-

ter quasi omnibus carent, nihil aliud nisi mendacia uidentur multiplicare, promittentes sibi & populo uictoriam de diabolo, quod tamen nunquam uel raro euenit, imò omnino oppositum contingit, sicut olim falsi Prophetæ ad confirmandum sua mendacia fecerunt sibi ex consilio diaboli falsa signa, ut melius eorum mendacijs crederetur, uidelicet de Zedechia, qui fecit sibi cornua ferrea & dixit ad Achab: Sic uentilabis Syriam & sic Regem deceptit.

Septimò, ritus antè dictus includit Missas ad lucrum auarorum Sacerdotum de inordinato cultu Sanctorum, sapientes idolatriam, cum ibi Missæ de Sanctis distinguantur, ex quo communiter simplices sacerdotes non alium circa hoc habent sensum, nisi quòd illæ Missæ celebrentur Sanctis contra diuinum præceptum, quo dicitur Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem. Scribit enim Hugo de Sacramentis libro 2. parte octaua, quòd celebratio Missæ in commemorationem Christi agatur, sicut ipse præcepit Apostolis dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Hæc ille.

Et ille ibidem parte nona scribit, quod Fœlix primus instituit supra memorias martyrum Missas celebrari, & quod Gelasius constituit in Canone dicitur quorum solennitates hodie in conspectu maiestatis tuæ celebrantur. Domine Deus noster toto orbe terrarum intra quorum nos consortium, &c. Quos postea sanctos per orationes ibidem conscriptas, partim

partim orant, & ex hinc & sententijs doctorum infundabiliter pro intercessione & suffragio docent simpliciter inuocare, & cum multis, qui in Canone ponuntur participium petere præcipiunt. De quorum beatitudine certificari non possumus ex scriptura.

Octauò, Hic ritus includit incerta suffragia animarum & memoriam defunctorum. Post annos ab incarnatione Domini 568. ibi insertã, quæ non prodest, sed obest multis, cum faciat somniati & incerti purgatorij certificationem, & est occasio simoniæ & auaritiæ sacerdotum maioris libertatis peccandi & falsæ spei. Hæc & plura alia fideles deberent excitare, ut excutiât hoc iugum graue, & non curent designis hypocritarum dummodo fuerit conscientia pura ob perfidiam spiritualiter quorundam, qui nõ credunt licitam esse missationem, absq; ritu prædicto, quamuis obseruentur ea, quæ de eius sunt substantia & necessitate, & etiam cum nullus ex talibus uidetur perfectus in populo, nec tali modo seruantur, quæ in ea uidentur utilia, quo instituta sunt, cum est eorum nimia appretiatio, sunt uelamen hypocritarum, qui aliàs notarentur non ex signis talibus, sed ex conuersatione eorum uana, nec timere debent exinde de damnatione, ut dicit suppositio septimã in principio recitata, nec argumentum eorum ualet, qui fortè imprudentes causas prædictas, eorũ ritus obmissionis per nos expressos & blasphemantes

mantes istud dictum nostrum inter cætera, quo dicimus, & securissimum est: Nos obseruare ritus circa Coenam dominicam, quos Christus obseruauit & eius Apostoli, Discipuli sui non immutauerunt nec in quoddam aliud interpretati sunt. Arguere solent, si securissimum est nos obseruare ritus circa Coenam dominicam, quos Christus obseruauit, &c. Ergo tunc male facimus de uespere non missantes, & non nisi discipulos ad præparandum Pascha præmittentes & agnum paschalem prægustantes, & sic de alijs conditionibus adiacentibus, quas Christus feria quinta magna circa coenam suam obseruauit. Cum in rudimentis ueræ logicæ nutriti bene noscunt, quod taliter arguentes in uerbis suis inculcant unam conditionalem falsam æquiualentem male conscientiæ, scilicet istam. Si circa Coenam dominicam securissimum est nos obseruare ritus, quos Christus obseruauit, &c. tunc missare debemus de uespere, & non nisi discipulos ad præparandum Pascha in Hierusalem præmittentes & agnum paschalem prægustantes. Hæc enim conditionalis ualet hanc malam consequentiã. Ritus quos Christus circa Coenam suam obseruauit, nos securissimum est obseruare. Ergo missare debemus de uespere, & non nisi discipulos præmittentes, & agnum paschalem prægustantes, &c.

Antecedens enim uerum est & indiffinitè de ritibus, quos Christus circa Coenam suam obseruauit, quos

quos securissimum foret nobis obseruare, & tamen consequens est falsum, quòd sine necessitatis articulo debeamus de uespere missare, & non nisi præmittendo discipulos prius Cœnam carnalem, &c. Sed si aduersarius pro antecedente assumeret, si omnes ritus, quos Christus circa dominicam Cœnam obseruauit, nos securissimum est obseruare, tunc illa prædicta debemus obseruare, tunc cõsequentia esset bona. Sed antecedens esset negandum, cum multos ritus circa Cœnam suam obseruauit de ueteri lege, quæ non oportet iam nos obseruare, & per consequens argumentum taliter arguentiũ non procedit.

QVIBVS EX CAUSIS ORNAMENTUS deposuimus.

CAPVT XV.

Deposuimus etiam ornamenta usitata et consuetudine humana ad sacrificandum deputata, ista de causa, ut libertatem missandi sine talibus omnibus & singulis Christi fidelibus declarem scientes, quòd illa ornamenta pro tempore legis gratiæ non sunt in lege Dei expressa & institutiua & aut præceptiua. Sed uerisimilius ab imperatoribus & Pontificibus Romanis sumpsērunt initium, qui ut testatur Hugo de Sacra. lib. 2. par. 4. Sanctarũ uestium ritus partim à ueteri Testamẽto sumptus est, & partim à Patribus noui adiectus. Hæc ille. Quamuis pars in hoc nobis aduersa certitudinaliter ostendit.

ter ostendere nescit, quis Pontificum primus excogitasset illas, cum quidam isti et illi alij hoc ascribant, uerisimile tamen uidetur, ut quidam dicunt, quod Syluester recipiens à Constantino Imperialia ornamenta primus hoc statuit, ut Sacerdotes similibus utantur circa missationem. Hinc Doctor Euangelicus VVicleph sæpè in suis scripturis uocat illas, uestes Cesarias, de quibus licet parti nobis aduersè concedimus, quod Sacerdotes Aaronici tempore legis ueteris alia spiritali ueste utebantur, quando ministrabant in Sancta sanctorum, & alia quando egrediebantur ad populum, uidelicet Exod. 28. & Ezech. 42. Cap. Non tamen concedimus eis nec ex hoc per consequentiã trahi debet, quod Sacerdotes sub tempore legis gratiæ ex hoc obligarentur ad aliquas tales exteriores uestes, spiritaliter ad sacrificium deputatas tum, cum primò quia Christus non processit de tribu Leui, sed de tribu iuda, cui nõ fuit tale mandatum datum, & Apostolus ad Hebræos dicit: Translato sacrificio necesse est ut legis translatio fiat, tum secundo quia illa præcesserunt in figura. Cum autem res figurata melior esse debet, quàm figura, cõuenienter uidetur esse dicendum, quod illa uestimenta Aaron figurabant uestimenta spiritalia interiora, quibus spiritaliter Sacerdotes Euangelici ornari debent, & sic ornati in Ecclesia Domini ministrare, sicut latè declarat Apostolus Timotheo Episcopo legalia uestimenta sacerdotum ad speciales uirtutes, quibus

quibus indui debent Evangelici Sacerdotes interpretando, sicut & ille magnus Origenes Omelia 6. super Leuitico loquens de indumentis Sacerdotum, ita scribit: Quòd Apostoli meritò duas tunicas habere prohibentur, sed sufficit eis una, & hoc interior. Nam ista quæ foris est, & quæ desuper apparet legis tunicam uolunt unã. Namq; eis Iesus & ipsam interiorem habere permittit. Hæc ille. Et idem in alio loco loquens de eisdem indumentis Sacerdotum Evangelicorum ita scribit, quæ sunt & qualia & alio loco Propheta pronunciat & dicit Sacerdotes tui induantur iustitia. Sunt ergò omnia ista indumenta iustitiæ. Et iterum Paulus dicit: Induimini Dominum Iesum Christum, & curam carnis ne feceritis ad concupiscentiam. Et iterum: Induite uos operamiseriordie, Ecce uestimenta nobiliora.

Ista ergò sunt ornamenta, quibus ornatur Ecclesia. Hæc ille per totum. Hinc est quod Christus exiens in cælo Sacerdos spiritualis omni uestimento sordido exutus, & uestimentis gloriæ & honoris decore scilicet fortitudine & uirtute indutus uolens suos Evangelicos Sacerdotes indutos esse prædictis spiritualibus indumentis, ad exornandum suos Sacerdotes ab illo prædicto Aaron præcepto Ecclesiam suam instituens, non est usus aliqua spirituali ueste, sed notanter ut Iohan. 13. scribitur accepit uestimenta sua scilicet usualia, quæ deposuerat secundum Gorrã, quod non fecisset, si pro tunc uolisset

luisse suos Sacerdotes habere obligatos ad utendū
 illa ueste Aaronica, uel alia specialiter deputata, ad
 ministerium Cœnæ dominicæ, ex quo non uenit sol-
 uere legem, sed adimplere, de quibus licet aliquandō
 sancti doctores tempore quorū iā dicti ornatus erāt
 introducti de ipsis facerent mentionem ipsos mysti-
 cantes. Nullibi tamē in suis scripturis tradunt, quod
 Christus uel sui Apostoli ad habendum tales ornatus
 circa Cœnæ dominicæ ministeriū, posteros suos Sa-
 cerdotes sub necessitate obligassent. Cū ergo B. Pe-
 trus ut præmissum est, ita modestè sine habitu iam
 usitato, & sine ritu tam longo & infundabili suum
 ministerium circa Sacramentū Eucharistiæ perage-
 bat, & nolēs multis ritibus legē Christi liberā strin-
 gentib. & impediētib. Ecclesiā onerare, reliquit
 hoc in exemplū posteris tanquam Apostolus princi-
 palis, quod & alij sine dubio obseruabant Apostoli
 quādo per domos fidelibus frangebant panes Act. 2.
 legitur. Nō aliunde quā à Christo capientes funda-
 mentū, patet, quod Sacerdotes moderni possunt lici-
 tē sine ornamentis exteriorib. iā ad hoc cōsuetudine
 humana consuetis & sine prædicto ritu tam longo
 missare, & Sacramenta fidelibus ministrare, quia si
 Christus, Apostoli & alij sancti olim ex prioribus in
 Ecclesia primitiua sic faciebant, & in hoc cæteris
 parib. nō peccabāt, ut latè probat M. Iacobellus bonæ
 memoriæ in tractatu suo antedicto. Quare eadem
 sunt ratione nunc Sacerdotes eodē spiritu agitati &

eadem

eadem urgente charitate idē non possunt facere in hoc ceteris paribus nō peccādo. Quia si idem spiritus moneret & euenirēt eadē circūstantiæ qualiter sine peccato nō eodē modo fieret, sicut olim propter quōd nos nō intendētes aliqua talia noua, quæ Christus nō docuit, nec Apostoli posteris ad tenendū sub necessitate tradiderūt, autorizare, magnificare, aut appetiāre, obmissimus ritū prædictū, Magistrorū, quē dicunt fore legitimū ac debitū, & à peccato nituntur excusare ex causis superius iā expressis, legi Christi liberrimē et sufficientissimē ac ritu Ecclesiæ primitiue, quā ex doctrina Christi et eius Apostolorū seruauit, quāto propius possumus approximātes. Hinc est, quōd in missa obseruamus ea & obseruare intēdimus, quæ de eius sunt substātia & circa ipsum sunt utilia, nō proprio in hoc utētes capite, sed imitantes in hoc ritum B. Dionisi, in quantū promouet deuotionē populi, in cantu moderato, et uerē in uulgari electione sacrarū scripturarū, & in edificatoria prædicatione parati circa hoc existentes & alia obseruare, quæ secundū legē Euangelicam ad finem principaliter dignæ communionis Sacramenti Eucharistiæ ordinantur, aut quæ circa hoc ex doctrina Christi seruauerunt Apostoli, & maximē, ut pax et charitas in populo augeatur, & memoria gratitudinis decentius habeatur, et uigilantius in modo cōuersandi Christus imitetur. In his omnibus ut speramus ceteris paribus non erramus.

A P O L O G I A
DE SOMNIATO PURGATORIO
post hanc uitam & mendacijs Sa-
cerdotum super illo se-
minatis.

C A P V T X V I.

IAm restat circa aliū punctum uidelicet Purga-
torium, nostram exprimere intentionem, quod
aliqui ex magistris Pragensibus & Sacerdotib.
eis adhzrentibus pro fidei articulo summa cum di-
ligentia promouent, publicē docentes, quod post
Christi in cœlum ascensionem animæ quædam spi-
ritualiter eorum, qui saluandi sunt, non satisfacien-
tes in hac uita pro peccatis de corporibus exeuntes,
pœnas corporales sustinentes sensibiles in eodem il-
lo purgatorio post hanc uitam purgantur, de quo
post purgationem exeunt, aliquæ prius, aliquæ po-
sterius, aliquæ in die iudicij, & aliæ nunc ante diem
iudicij, quodq; fideles in uia hic talibus propter uin-
culum charitatis & spiritus possint & debeāt ieiun-
ijs & orationibus, eleemosynis & sanctis oblatio-
nibus piē suffragari.

Supra quo purgatorio pro suppletionē suæ au-
ritiæ multi multa fingebant incerta docentes, quod
tales animæ aliquæ ad collum, aliquæ ad cingulum,
aliæ per digitum torqueantur in dicto purgatorio,
& quod aliquando ad mensam sedentes in ipsa ibi-
dem con-

dem conuiuantur, & specialiter tunc, quando in anniuersario animarum largè Sacerdotibus eorum offerunt superstites, & quòd aliquando sub mensa diuitum fragmenta colligunt, per quæ omnia & alia circa hoc conficta mendacia auaritia Sacerdotum creuit, & simonia exercebatur, & erecta erant claustra, edificata sumptuosa templa, multiplicata superflua Altaria, & innumerosa Monachorū multitudo & Canonicorum, & c. ijs introducta, occasio data dissolutioni & uerbi Dei in aduertentiæ, & populus in facultatibus et animabus multum est deceptus, quem in incerto sperare faciebant, & multi fideles absconditi propter hoc, quòd illud purgatorum profidè astruere noluerunt, sunt cõdemnati & incinerati.

De illo ergò Purgatorio locuturi supponimus.

Suppositio prima. Primò, quòd animæ saluandorū sunt suo tempore secundū Dei ordinatiõnẽ ab omnibus suis inquinamentis finaliter expurgandæ, patet ex illo Apocal. 21. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum.

Suppositio secunda. Supponimus secundò, quòd fides scripturæ nobis exprimit certos et diuersos modos purgandi, quibus in uita præsentis uiantes, à suis purgantur peccatis. Nunc pro sermonis Christi impletionem Ioan. 16. iam uos mundi estis propter sermonem meum quem locutus sum uobis, nunc per opera fidei & pietatis Prouerbiorum 15. Per fidem

& misericordiam purgantur peccata, Nunc per
 eleemosynam, Luce 11. capite. Veruntamen quod
 superest date eleemosynam, & ecce omnia munda
 sunt uobis, nunc per aduersitatum tolerantiam Ec-
 cles. 27. Vasa figuli probat fornax, & homines iu-
 stos tentatio tribulationis, nunc per abundantiam
 charitatis Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa,
 quoniam dilexit multum. Nunc per iniurie pro-
 priæ remissionem Matth. 6. Si dimiseritis homini-
 bus peccata eorum, dimittet & uobis Pater coelestis
 peccata uestra, nunc per conuersionem peccatoris
 ab eius uia mala Iacob. ultimo, Qui conuerti fecerit
 peccatorem ab errore uiae suae, saluabit animam eius
 à morte, & operit multitudinem peccatorum, nunc
 per poenitentiam. Cum lauerit peccator in lachry-
 mis stratum suum, & fiunt ei lachrymae suae panes
 die ac nocte exemplo Dauid, qui dicebat: Per singu-
 las noctes lectum meum lachrymis meis stratum me-
 um rigabo. Ecce quod certi modi purgandi uiuentium
 ex fide scripturae colliguntur, quibus in uita
 praesenti uiuentes purgantur à suis peccatis.

Suppositio tertia. Supponimus tertio quod
 tutissimum & securissimum est, ut quilibet in praesenti
 sic uiuat, ne post hanc uitam aliqua purgatione
 indigeat. Cum secundum Gregorium 4. Dialogorum:
 Melius est in hac uita mereri, quam post optare in
 certa suffragia, & uita tutior est, ut bonum
 quod quisque post mortem suam sperat agi per
 alios

alios, agat dum ipse uiuat per se, cum beatius est liberum exire, quam post uincula libertatem quaerere.

Istis praesuppositis tanquam ueris dicimus, quod non uidetur ex scriptura expressa legis Dei, & sanctorum Doctorum se in eadem ueraciter & directè fundantium concordi sententia deducibile, quod fideles necessitentur, ut articulum fidei credere & tenere talem ut praemittitur, locum Purgatorij post hanc uitam esse. Nec ipsum datum est priuatum alicuius partis sacrae scripturae, nec possumus ex fide edoceri de aliqua anima, quod sit in tali Purgatorio & exire de illo, sicut de duabus uijs habemus expressum, & de aliquibus ex nomine, qui illas ambulauerunt. Ergo non est credendum illud nec tenendum pro fide in cuius confirmationem Augustinus in libro mille loquiorum 3. par. & hypognosticon responsione quinta, scribit. Primum enim locum fide Apostolica & diuina autoritate regnum credimus esse caelorum, ubi baptizatus excipitur.

Secundum gehennam, ubi omnis apostata uel à fide Christi alienus, aeterna supplicia experitur.

Tertium penitus ignoramus, imò necesse in scripturis sanctis inuenimus uel reperimus, infra satis copiose exponens & declarans hoc subdit: sedetis iudicis dextra et sinistra est regnum & Gehenna, uita

et mors, et iusti et iniqui, in dextra igitur iusti sunt constituti, in sinistra operarij iniquitatis, in regno requies baptizatorum, in Gehenna poena incredulorum, vita ad laetitiam glorie, mors ad fletum et stridorem dentium. Iusti in regno Patris cum Christo, iniqui in igne eterno parato Diabolo et Angelis eius. Hæc ille.

Idem super illo, Neque ebriosi regnum Dei possidebunt, ita scribit: Nemo se decipiat fratres, Domino enim loca sunt, et tertius non est ullus, quia qui cum Christo regnare non meruit, cum Diabolo absque ulla dubitate peribit. Hæc ille.

Ad hoc confirmandum Chrysostomus in opere imperfecto super Matih. 20. in principio sic ait: Homo, Paterfamilias, Christus, cui coelum et terra, quasi una domus est. Familia autem coelestium et terrestrium, qui quasi tristissimam domum edificant, id est, inferos, coelum et terram ut super terram habitent certantes, in inferno uicti, in coelo uictores, ut in medio constituti non tendamus ad eos descendere, qui sunt in inferno, sed ad eos ascendere, qui sunt in coelo et, ne forte nescias, quid fugere, aut quid debeas sequi, utriusque dedit tibi quasi modicum gustum inter lumina et tenebras habitanti noctem de inferno, lumen de coelo, nox tibi referat de tenebris inferorum, lux tibi referat de splendore coelesti. Hæc ille.

Ecce istæ autoritates ad hoc expressè sonant,
quod

quòd tantum duo sunt certa loca post Christi in cœlum ascensionem animarum de corpore exutarum post hanc uitam, & tertius non est ullus, necesse in scripturis reperitur, cum quibus concordat M. Iohannes Huius sanctæ memoriæ in sermone: Dixit Martha ad Iesum, qui quamuis plura ibi de illo loco Purgatorij opinatiuè scribit tangens modos, quibus melius uiui, dato quòd sint aliqui in tali Purgatorio possint mortuis suffragari, sequens in hoc Thomam & alios de hoc sine scripturæ expressæ autoritate loquentes, quid tamen finaliter de eo solus sentiat conclusiuè manifestat, quando dicit in tota sacra scriptura non docuit Dominus orare expressè pro mortuis præter librum Machabeorum, qui non est de ueteris Testamenti apud Iudæos Canone. Deniq; subdit neq; Prophetæ, neq; Christus cum suis Apostolis, nec Sancti eorum sequaces propinqui orare pro mortuis docuerunt explicitè, sed docuerunt ualde sollicitè populum, ut uiuens sine crimine foret sanctus. Hæc ille.

Cum ergò nullibi in lege est de tali loco Purgatorij expressa mentio, nec Apostoli nobis aliquod expressum reliquerunt documentum, nec Ecclesia primitiua Euangelio conuersans, cuius ipsi erant rectores aliquid nobis institutiuè et præceptiuè tradidit. Sed Pelagius Papa primum post annos 508. legitur tradidisse, ut in Missa defunctorum memoria habeatur. Relinquitur quòd non ex scriptura

expressa legis Dei uidetur deducibile, quòd fideles necessitarentur, ut articulum fidei credere, tale post hanc uitam purgatorium esse.

D O C T O R E S I N M A T E R I A
Purgatorij non con-
cordant.

CAPVT XVII.

Quòd autem nec ex Doctorum sanctorum se-
in lege Dei expressa ineuitaliter fundan-
tium, cõcordi sententia sit deducibile, quòd
fideles necessitarentur credere, ut articulũ fidei tale
Purgatorium, de quo sermo est, post hanc uitam esse
patet.

Nam aliqui Doctores uidentur sonare ad hoc,
quòd animæ talium saluandorum, si quæ hîc non sa-
tis fecerint pro peccatis post exitum de hac uita pro
illo tempore, quod inter hominis mortem & ulti-
mam resurrectionem interpositum est, sine corpo-
ribus non patiantur aliquas pœnas corporales sen-
sibiles, sed quòd facta resurrectione in die iudicij à
defectibus, si qui remanserint significatis per scœ-
num, lignum & stipulam, per ignem conflagratio-
nis seib

nis seu emundatorium extremi iudicij purgabuntur, & illi capiunt pro sui fundamento illud dictum Apostoli 1. Corinth. 3. Cap. de ligno, scæno & stipula, quod ad literam in die iudicij uerificabitur, in cuius signum beatus Gregorius super Ezechielem Omelia, exponens illud Ezechielem : Ecce uentus turbinis ueniebat ab Aquilone, & ignis inuoluens & splendor in circuitu eius. Concordat illud Petri dictū: Adueniet dies Domini magnus, & aliud dictum Psalmiste. Quæ ad literam de die iudicij uerificantur, cum prædicto uerbo Apostoli ita scribens: Tunc cum hominibus in suo terrore uidebitur, eiq; ignis iudicij in reproborum uindicta famulabitur. Hinc etiam scriptum est: Dies Domini declinabit, quia in igne reuelabitur. Hinc etiam Psalmus ait: Deus manifestè ueniet, Deus noster, & non filebit, ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas ualida. Hinc Petrus Apostolus dicit: Adueniet dies Domini magnus ut fur, in quo cæli magno impetu transeant, Elementa uerò ignis ardore soluentur. Hæc ille.

Ex cuius Doctoris uerbis patet, quòd ipse exponit prædictum uerbum Apostoli 1. Corinth. 3. de die iudicij & igne conflagrationis, quando dies Domini ueniet ut fur, in quo Elementa ignis ardore soluentur. Glossa etiam ordinaria illum eundem textū Apostoli ad literam exponit de die iudicij & igne, qui reuelabitur in ipso, ut patet intuenti,

ubi postea concludit dicens: Et sic hoc temporis interuallo, id est, durante die iudicij spiritus defunctorum qui edificauerant lignum, foenum, stipulam. Huiusmodi ignem dicuntur perpeti, quem alij non sentiunt, qui huiusmodi aedificia secum non porterunt. Hec ille.

Vbi etiam eadem glossa ordinaria sic habet: Duos ignes futuros legimus, Vnum aeternum, quo aeternaliter punientur reprobj. Alterum qui praecedet, quo exuretur facies mundi huius, qui emundabit eos, qui aedificant lignum, foenum, stipulam. Qui autem aurum, argentum & lapides pretiosos de utroq; igne securi sunt, non solum de igne illo aeterno, qui in aeternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo emundaturo, quo purgabuntur quidam saluandi. Ignis enim extremi iudicij tam diu durabit, quousq; purgati sunt, qui salui erunt. Hec ibi.

Pro eodem est & ille peritus linguarum beatus Hieronymus super Naum, Capite primo in glossa, quae dicit: quam diu poenitentiam aget mundus, non fiet consummatio, sed postquam multiplicata iniquitate, & refrigescente charitate etiam ipsi electi tentabuntur, tunc Zelator Dominus ueniet in ultionem, non quasi inimicus, sed ut ligno, stipula, foenoq; consumptis purum recipiat aurum, & quicquid hostile atq; contrarium sibi inuenerit, tollat, & in statum pristinum restituat & reducat. Hec ille.

Ad idens

Ad idem est & Remigius super illo eodem uerbo Apostoli ita scribens: Igitur sicut aurum & argentum & lapides pretiosi igne probantur & non cōsumuntur, ita et in die iudicij, Qui habuerit bona opera & bonam prædicationem, licet per ignem transeat, tamen nullam poenam neq; lesuram sustinebit. Qui autem habuerit leuia peccata transeundo per ignem expiabuntur. Quia consumentur ibi, sicut lignum, fœnum uel stipula ab igne, sed mundati & probati ascendent ad Dominum, & sequitur. Dies enim Domini declarabit, id est, dies iudicij & uindictæ Domini manifestabit omnia opera hominum. Quia in igne reuelabitur ipsa die. Hæc ille.

Idem super Daniele cap. 6. Thronus est flamma ignis, ut peccatores tormentorum magnitudinē pertimescant, & iusti saluentur, sic tamen quasi per ignem, rotæ eius ignis accensus, de quo & alibi dicitur: Deus ignis consumens est, ut ignem, fœnum, stipulam arsuram in die iudicij nouerimus, & in Psalmis legimus, Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit omnes inimicos eius, Hæc ille. Vnde B. Beatus, Effereamus pro ut ipsum allegat Remigius ibidem dicit, tantus terror inuadet omnes in illa die & bonos & malos, cum uiderint infernum ardentem & Dominum lesum Christum cum maiestate & gloria uenientem ad iudicium, ut si non iam immortales essent effecti, iterum morerentur. Quo timore etiam leuia peccata Sanctorum purgabuntur, sicut dicitur,

66 APOLOGIA

citur, uidentes autem Angeli purgabuntur, id est electi. Hec ille.

Ecce istæ Sanctorum authoritates sunt pro illo, quod animæ talium saluandorum, si qui hic non satisfecerint pro peccatis ipsorum, facta generali resurrectione in die iudicij à defectibus qui remanserunt, significatis per lignum, scenum & stipulam, per ignem emundatorium extremi iudicij purgabuntur. Est ab alio igne somniato sunt securi. Qui cupiunt pro sui fundamento uerba Apostoli dicta, Qui bene de uirtute sermonis uerificabuntur ad illum sensum, quem præacti exprimunt doctores, Nam iuxta illum eorum sensum quicquid illa uerba Apostoli exprimunt, hoc totum tunc implebitur, erit ultimi iudicij, & locus ubi Deus iudicium constituet, eritq; ibi quilibet ex omnibus, & ignis erit in quo, uel cum quo dies iudicij reuelabitur, per quem omnes licet aliqui absq; ulla uiolatione transibunt, & ideo ad confirmandum sensum Apostoli & præcedentium doctorum, se in eodem uerè fundantium notanter ueritas dicit Matth. 12. Omne uerbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij, quod Christus & Apostolus 2. Cor. 5. non incongruè, quia Apostolus concorditer scribit, omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisq; propria corporis sui, prout gessit, siue bonum, siue malum. Quod uerbum Apostoli tractans Ambrosius sur
per

per Beati immaculati lib. 2. scribit. Vides, quia & Paulus assistet, ut ipse commemorat: caue ne lignū, caue ne stipulam ad iudicium Dei deferas tecum, quia ignis exurit, caue ne cum in uno uel duobus habeas, quod probetur, in pluribus operibus offeras, quod offendat. Hæc ille.

Et idem ibidem eodem libro ostendens, quod omnes uelut per ignem illum, de quo Apostolus 1. Corinth. 3. dicit, transibunt, ita scribit, omnes oportet per ignem probari, quicumq; ad paradysum desiderant redire. Non enim otiosè scriptum est, quod eiectis Adam & Eua de Paradiso, posuit Deus in exitu Paradisi gladium ignem uersatilem. Omnes oportet transire per flammam, siue ille iohannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum: Si sic cum nolo manere, quid ad te? tu me sequere. De morte eius aliquis dubitauit, de transitu per ignem dubitare non possumus; Quis in Paradiso est, nec separatur à Christo, siue ille sit Petrus, qui accepit clauas regni cœlorum, qui supra mare ambulauit, oportet ut dicat, Transiimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium, sed iohanni citò uersabitur igneus gladius, quia non inuenitur in eo iniquitas, quem dilexit æquitas, si quid in eo uitij humani fuit charitas diuina excoxit. Hæc ille.

Ecce iste Doctor exprimit, qualiter etiam optimi
per

per ignem de quo Apostolus mentionem facit, transibunt, Quod non potest esse uerum de igne purgatorij Magistrorum cum secundum eos edificantes super fundamentum, quod Christus est aurum, argentum & lapides pretiosos illi non ingrediuntur purgatorium. & per consequens eadem anima post exitum de hac uita pro illo tempore, quod inter homines mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, non uidentur sine corporibus pœnas aliquas corporales sensibiles sustinere, sicut hoc sententiare uidetur ille magnus Origenes, qui Omel. 8. super Leuitico tractans illud Leuitici 12. Mulier pariendo masculum immunda erit septem diebus, & infans octauo die circumcidetur, si uerò pariet foeminam, immunda erit duabus hebdomadis, ita scribit septimana presentis uitæ tempus uideri potest. In septimana namq; dierum consumatus est mundus, in quo donec sumus in carne positi ad liquidum puri esse non possumus, nisi octaua uenerit dies, id est, nisi futuri seculi tempus affuerit, in quo tamen die, qui masculus est & uiriliter egerit, statim in ipso aduentu futuri seculi purgatur, & statim munda efficitur mater, quæ genuit eum, purgatam namque uicijs carnem ex resurrectione accipiet. Si uerò nihil in se habuerit uirile aduersus peccatum, sed remissus et effœminatus fuerit in actibus suis, cuius peccatum tale est quod non remittitur, neq; in presenti seculo neq; in futuro, iste transibit & unam alterans

alteram septimanam in immundicie sua, & tertia demum incipiente aboriri septimana, purgabitur ab immundicia, quam scæmina pariendo contraxit. Hæc ille.

Ex cuius uerbis planè ostenditur, quòd illi qui habent uiriles actus, statim in mortis articulo in ipso aduentu futuri seculi efficiuntur mundi. Illi autem, qui remissi & effceminati fuerint in actibus suis habentes amorem dispersum ad temporalia, non efficiuntur mundi, nisi tertia incipiente aboriri septimana, hoc est, in die iudicij, Non autem pro tempore quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, igne somniati Purgatorij expiantur, in cuius confirmationem Hugo de Sacramento lib. 2. par. 16. de quibusdam refert dicens: Quidam putant animas à corporalibus pœnis cruciari non posse, nisi per corpora & in corporibus manentes. Quapropter à corporibus exutas animas nullas alias pœnas sustinere credunt, nisi eas solùm quas intus conscientia accusatrix irrogat. Hæc ille.

Et benè conueniens uidetur, quòd animæ separate dictorum saluandorum ibi non patiantur sine corporibus aliquas pœnas sensibiles corporales. Nam omnes concorditer dicunt, quòd homo non est tantùm corpus, nec tantùm anima, sed ambo simul componunt unum hominem, qui uerè simul merentur uel demerentur simul plenam gloriam in cælo, uel damnationem portabunt in inferno. Quamuis
Aposto-

Apostolus distinguat peccata, alia carnis, alia spiritus, tamen nisi anima corpori sit unita, talia peccata in actum deduci non possunt, etiam quamuis animæ plus quàm corpori tribuatur peccatum ratione rationabilitatis ac liberi arbitrij, nihilominus corpus non excipitur à culpa, in quantum est occasio seu causa proxima mediante, qua anima peccare possit, cum aggrauet & obtenebret eam sua corruptione, ut non hoc bonum, quod uult, agat, habens contrariam legem in membris captiuantem eam in legem peccati, & ideò sibi anima unita existens semper cum illo & per illud peccat, tanquam per immediatam causam & occasionem: contractam ex peccato, quod ex se sua pronitate & inclinatione aliud facere difficulter potest, nisi peccare & animam in peccatum inducere, cum ergò ille due dictæ naturæ simul peccent, & anima quicquid mali secum portet post sui separationem hoc cum corpore acquisiuit, dignum & conueniens uidetur, ut simul puniantur, & per consequens non iustum uidetur, quod anima post separationem non hinc satisfaciens pro peccatis inter ignem somniati purgatorij, & facta purgatione ut fingitur, per uiuorum suffragium ingrediatur æternam requiem, corpore secum sæpe tantum peccante omninò impunito remanente. Nam si elementa minus coinquinata, ignis calore pro die iudicij soluentur, ut dicit Petrus in Canonica sua,
multò

multo magis corpus peccans eorum, qui saluandi sunt, & non hic satisfecerunt pro peccatis purgari oportet, & per consequens uidetur, quod quæ purgatio dabitur animæ, dabitur & corpori, quod cum ea peccauit, & hoc ex dicto prædicto Apostoli, & testimonio sanctorum doctorum præmissorum se in eisdem uerbis uerè fundantium fiet non in somniato purgatorio magistrorum, sed in die iudicij per ignem emundatorium ipsius, uel aliter secundum Dei ordinationem, & sic patet, quod utraque prædictæ naturæ simul fuerunt culpabiles, uel immunes & in quo simul deliquerunt, in hoc simul torquentur & una propter hoc non torquetur alia impunita remanente, potest ex scripturis confirmari.

Scribitur enim Sap. 11. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, Ex qua scriptura patet, quod cum quo quis peccat, uel per quod peccat, uel gratia cuius peccat, cum illo & per illud & gratia illius torquetur. Quia sicut Sapientie 14. scribitur: Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius. Hac ratione cause uel occasionis datæ, oportet contingere, cum peccatum per aliud fit, & quia multe cause uel occasiones peccandi sunt, aliquæ remotiores, aliæ propinquiores, ut sunt, idola, diuitiæ, & aliæ res temporales, hominis corpus proprium ac ipsius membra. De quibus omnibus ex fide scripturæ tenendum est, quod peccatores simul & cum illis,
cum

cum quibus uel mediantibus quibus uel gratia, quibus peccare dicuntur, torquebuntur. De Idolis enim & his, qui faciunt ea, scriptum est, Sap. ubi supra per manus quod sit Idolorum maledicta est & ipsum & quæ fecit illud, cum ex prius dictis simili modo utrunq; odit, & ideo sæpè in scripturis legitur, qualiter Deus Idolatris cum eorum Idolis contriuisse narratur. Scribitur enim 3. Regum, quomodo uir Dei Ieroboam, stante supra altare & thus iacente, exclamauit contra idolatricum altare in sermone Domini & ait, altare, altare, hæc dicit Dominus, Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum incendunt super te, quando autem natus est ille Rex totum hoc adimpleuit, ut patet 4. Reg. 23. Sic & de pecunijs quæ erant occasio peccati, Simonis Magi dictum est: Pecuniæ tuæ tecum sint in perditionem, sic & Achor, quia peccauit occasione concupiscentiæ anathematisatarum rerum, ideo cum omnibus illis interiit, & omnia quæ eius erant consumpta sunt, Ios. 7. Similiter & Sodomitæ & alij in circuitu & cum ciuitatibus destructi sunt, quia fuerunt eis occasio peccandi. Sic intelligendum est de alijs hominibus, qui aliquando fuerunt alijs causa data peccandi, ideo necessum est ex prius dictis, quod & cum illis puniantur, & per consequens, cum quot quis peccauit, cum tot & propter tot necessum est

pati, & ex quo ita est, quod homo propter illas remotiores causas seu occasiones datas peccandi & cum illis puniendus est. Multò euidentius est tenendum, quod cum corpus cum suis proprijs membris sunt immediata, & proxima occasio peccati hominis, necessum est, ut qui secutus fuerit ipsius desideria, quod simul cum eo torqueatur. Hinc est quod Apostolus sciens, quomodo peccatum uirtutem suam sumit ex membris hominis, Roman. 6. suadet dicens: Neque exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato, sed exhibeatis uos Deo tanquam ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iusticie Deo, ibi perhibetur illa proxima occasio peccandi, ex qua peccatum uirtutem suam sumit. Quia nunc exhibuerunt membra sua seruire iniquitati, postea Apostolus hortatur tales ad pœnitentiam quando modicum infra dicit: Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis membra uestra iusticie in sanctificationem, Quod si qui non fecerint pœnitentiam Deo, quòd membra sua sic ad peccandum exhibuerunt, tunc spiritualis uindicta super eadem ueniet membra, ut Esaiæ tertio prædicatur, pro eo quod eleuate sunt filie Sion, & sequitur: decaluabit Dominus uerticem filiarum Sion, & crinem eorum nudabit, auferet calciamentorum ornatum, ubi manifestè ostenditur, quòd homo in quolibet membro spiritualiter secundum quod peccauit, punietur, ubi be-

nè complebitur Scriptura, quæ dicta est sapientiæ, per quæ quis peccauit, per hæc & torquetur, in cuius confirmationem beatus Gregorius in Omelia de diuine epulone scribit, Quid autem est, quòd diues in tormentis positus, linguam suam refrigerari postulat, nisi quod is, qui conuiuando de loquacitate peccauerat per retributionis iustitiam in lingua atrocius ardebat. Abundare enim in conuiujs loquacitas solet. Multa etiam lingua sua superba locutus est, ubi peccatum, ibi & poena, & plurimum lingua peccauit, amplius modò torquetur. Hæc ille.

Ex quibus authoritatibus Scripturæ & B. Gregorio præcedente patet, quod iusticia diuina uisitat peccata nostra, secundum quòd acta sunt sub mensura debita, & cum in uita nostra, ita cum corpore unus sit homo siue bonum siue malum simul facientes, ideò non uidetur fundabile, quod anima peccans cum corpore patiatur cētum, uel citra annos in purgatorio sine corpore poenas grauiores, quàm aliquis in uita sufferre posset, ut fingitur, deseruiens illud cum corpore & per corpus & facta per unionem suffragia, ut dicitur, ipsum expiatur, ingreditur æternam requiem, corpore secum peccante omninò impunita remanente. Idò non inconuenienter dicit Apostolus, ut prædictum est, quod nos omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, siue

siue bonum siue malum, nec incongruè idem Apostolus I. Thess. ultimo scribit: ipse autem Deus pacis sanctificet uos per omnia, ut integer spiritus uester & anima & corpus sine querela in aduentu Domini nostri I E S U Christi seruetur, Vbi quia specialis querela potest uenire in corpus, cum quedam sint peccata carnis specialis in animam, cuius peccata sunt male cogitationes, &c. idè singulariter exprimit illa, & distinctè optans, ut in aduentu Domini, in quo omnes querelæ de omnibus aderunt, quodlibet illorum sine querela inueniatur, & si quis quæserit, ubi tunc animæ talium saluandorum, qui non hîc satisfecerunt pro peccatis sint pro tempore inter talium mortem & resurrectionem ultimam.

Ad hoc potest responderi, quod de corpore exeuntes, sunt cum Christo corporum resurrectionem expectantes, ut ad æternam & perpetuam beatitudinem pariter cum Christo immutentur.

Scribit enim beatus Augustinus de dogmatibus fidei ante passionem Domini, omnes Sanctorum animæ in inferno sub debito præuaricationis Adæ tenebantur, autoritate Domini per indebitam eius mortem, de seruili conditione liberantur post ascensionem Domini ad cælos, omnes Sanctorum animæ cum CHRISTO sunt, & exeuntes de corpore ad CHRISTVM uadunt, expectan-

tes resurrectionem corporum, ut ad eternam & perpetuam beatitudinem pariter cum Christo immutentur, sicut peccatorum animæ in inferno sub timore repositæ etiam expectant resurrectionem sui corporis, ut cum ipso ad pœnam conuertentur eternam. Hæc ille.

In Enchiridion autem & habetur transumptiuè 13. 2. tempus ita scribit, tempus quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaqueque digna est uel requie uel ærumna, Pro eo quod sortita est in carne cum uiucret. Hæc ille.

Abditis glossa super illa sic habet: Ex his uerbis sic uidetur quod Augustinus dubitat, quo animæ defunctorum recedant & benè dicitur dubitare, Quia rarus uel nullus inuenitur talium diuinorum conscius secretorum. Nam Origenes Omel. 2. super Num. mysticando mansiones filiorum Israel, de Aegypto peregrinantium in terram promissionis, ita scribit:

Sed & anima cum de Aegypto uitæ huius profici scitur, ut tēdat ad terram promissionis, pergat necessario per quasdam uias & certas quasque conficit mansiones, Quarum credo Propheta memor dicebat: Hæc meditatus sum & effudi in me animam meam, quoniam digrediar in locum tabernaculi. Admirabilis usque ad domum Dei, istæ sunt mansiones & ista tabernacula de quibus in alio loco dicit:

Quam

Quam amabilia sunt tabernacula tua Domine uirtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini, & infra modicum concludit dicens: Iste ergo sunt mansiones, quibus iter è terris agitur ad cœlum, & quis ita inuenitur idoneus & diuinorum conscientiarum secretorum, qui possit itineris istius & ascensionis animæ describere mansiones, & uniuscuiusq; loci uel laboris explicare uel requies. Hæc ille.

Petrus autem ad Clementem lib. 1. itinerarij tangit, quod animæ talium saluandorum in bonis letisque regionibus, tunc seruantur quando sic scribit: Eorum uerò, qui non ad integrum potuerunt explere normam iusticiæ, sed aliquas in sua carne malicie reliquias habuere. Corpora quidem resoluntur, animæ uerò seruantur in bonis letisque regionibus, ut in resurrectione mortuorum cum corpora sua receperint, ipsa iam resolutione purgata, quod his, qui benè gesserunt, æterna hereditate potantur. Hæc ille.

Chrysostomus autem de opere imperfecto, Omel. 28. exprimit, quod animæ post ascensionem Domini ante diem iudicij suum ultimum finem non adeunt ita scribens:

Vnde manifestum est, Quoniam ipse post ascensionem animæ in regionem quandam abducuntur, non adhuc habentes tempus reuertendi, sed terribilem illum diem expectant. Hæc ille. Ex quorum do-

etorum scriptis patet, quod ipsi non affirmant animas saluandorum, si qui hic non satisfecerint pro peccatis post exitum suum à corpore, intrare locum purgatorij somniati, nec statim eas coelum ingredi dicunt.

Sed hæc occulta sunt, qualiter cum dictis animabus ibi agatur, & quòd in lætis bonisq; regionibus sunt cum Christo, Abditis receptaculis tamen continentur, & quoniam hæc occulta sunt, idcò non inuenitur quis idoneus, qui mansiones talium ualeat explicare, & per consequens nesciunt, quid de illis certitudinaliter debeant affirmare.

A L I A P A R S
 Doctorum.

C A P V T X V I I I .

DOctores etiam sonant ad hoc, quod hic est locus merendi pœnitentiæ & satisfactionis, cum præmium in beatitudine attenditur penes gradum gratiæ, in quo præsens uita finitur, & pro illo est primo Hieronymus super illo uerbo Euangelij: Homo quidam erat qui habebat uillicum, ita scribens: Post amissionem itaq; uillicationis, se non posse fodere, uillicus asseruit, quia post finitam
 uitam

uitam presentem nullus confessionis, nec poenitentiae locum esse poterit, mendicandi uero fructus nullus tunc erit. Quia fatuae uirgines quae à prudentibus oleum petierunt sine fructu redierunt. Fodendi ergò tunc non erit fortitudo, mendicandi erit confusio. Quia post mortem nec fructuosam poenitentiam de malis agere licebit, nec in semetipsos docere alicui potestas erit. Cum ergò in presenti uiuimus, in futurum nobis prouidere debemus, ut secundum Apostolum dum tempus habemus, operemur bonum, ad omnes, maxime autem ad domesticos. Hec ille.

Pro eodem est Cyprianus Epistola decima, cum hinc recessum fuerit, nullus iam poenitentiae locus, nullus satisfactionis effectus, hic uita amittitur aut tenetur. Hic saluti aeternae Dei cultu & fructu fidei prouidetur. Hec ille.

Et Hilarius: peccatum quod in hac uita non corrigitur, eius uenia frustra postulatur. Hec ille.

Ambrosius in libro de bono mortis. Qui enim hic accipit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit enim, qui ad uitam aeternam non potuerit peruenire, Quia uita aeterna remissio peccatorum est, ideoq; dicit: remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero. Hec ille.

A P O L O G I A

Ecce istae autoritates Sanctorum sunt ad hoc, quod hic est tempus merendi & poenitentiae seu satisfactionis in quo electi, qui aedificant supra fundamentum, quod est Christus, lignum, foenum uel stipulam punientur & purgantur, & isti doctores pro sui fundamento capiunt etiam illa uerba Apostoli 1. Cor. 3. de ligno, foeno, stipula, quae etiam de uirtute sermonis uerificantur de die & igne praesentis uite. Hinc est, quod glossa ordinaria exponens illum textum Apostoli primo ad litteram de die iudicij & igne ipsius, ut in praecedenti capite ostensum est.

Exponit enim secundò ad sensum mysticum de die & igne praesenti, quando sic dicit uel ita dici potest, ut de die praesenti & igne praesenti accipiatur. Nam hic etiam dies Domini est dum iudicium incipit à domo Dei, id est, à saluandis incipit poena, quae consummabitur in reprobis, ideò enim puniuntur hic electi, ut ibi non puniantur, in quo die est etiam ignis tribulationis, quo utitur amor spiritualium rerum, dum homines contristantur de omnis, unde dicitur, tribulationem carnis habebunt huiusmodi. Quod enim sine alliciente amore non habent, sine urente dolore non perdunt, cuiusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini, id est, dies praesentis tribulationis declarabit. Quia in igne tribulationis reuelabitur. Eandem enim tribulationem ignem uocat, & uniuscuiusq; opus, quale fuerit, sanum uel solubi-

solubile ignis presentis iudicij probabit, et hoc igne illius opus non exuret, quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur.

Exurit autem illius opus, qui hæc temporalia dilexit, quia sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Hæc ibi.

Et ad idem est Augustinus in Enchiridion cap. 13. cuius sententiam & glossa ordinaria, ubi sexto inserit, qui sic scribit:

Sed quia hæc Apostolica magnificentissima & aptissima testimonia falsa esse non possunt, illud quod obscure dictum est, de his, qui ædificant supra fundamentum, quod est Christus, non aurum, non argentum, uel lapides pretiosos, sed lignum, fœnum, & stipulam, de his dictum est, quod per ignem salui erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt, sic est intelligendum, ut his manifestis non inueniatur esse contrarium, lignum quidem fœnum & stipula non absurde accipi possunt, rerum secularium, quamuis licite concessarum, tales cupiditates ut amitti sine animi dolore non possunt.

Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti habet locum, id est, ut nihil ei anteponatur, & malit homo, qui tali dolore uritur, rebus, quas ille diligit magis carere, quam Christo, per ignem saluus erit. Si autem huiusmodi res temporales & seculares tempore tentationis maluerit tenere, quæ Christum, cum in fundamento non habuit, quia hoc

priori loco habuit, cum in edificio prius non sit aliquid fundamento. Ignis enim de quo eo loco locutus est Apostolus, debet intelligi talis, ut ambo per eum transeant, id est, & qui edificant super hoc fundamento aurum & argentum, & lapides pretiosos, & qui edificant ligna, scenum, & stipulam.

Cum enim dixisset hoc, adiunxit: Vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit, & cuius opus permanserit, quod super edificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus exustum fuerit, damnū patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem.

Non ergo unius eorum, sed utriusque opus ignis probabit. Est quidem ignis tentatio tribulationis, de quo alio loco aperte scriptum est. Vasa figuli probat ignis, & homines iustos tentatio tribulationis. Vbi ignis in hac iterum uita facit, quod Apostolus dicit: Si accedit fidelibus, scilicet cogitanti, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est, edificanti super Christum, quod est unum fundamentum, aurum, argentum, lapidesque pretiosos, Alteri autem cogitanti ea, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, id est, edificanti super idem fundamentum, lignum, scenum, & stipulam. Illius enim opus non exuretur, quia non ea diligit, quorum amissione crucietur, Et exuritur autem huius opus, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt, sed quando alteruter conditione postposita eis potius maluit carere quam Christo, nec timore talia amittendi, talia deserit.

ferit. Christum, quamuis doleat, quod amittit, saluus quidem esse dicitur, sed tamen quasi per ignem, quia urit eum dolor rerum, quas dilexit, amissarum, sed non subuertit, neq; consumit fundamenti stabilitate atq; incorruptione munitum. Hæc ille.

Ecce plana & benè fundabilis expositio textus Apostoli exprimens, quòd saluandi qui ædificant supra fundamentum, quod est Christus, lignum, fœnum, uel stipulam, satisfaciunt & purgantur ab illis in præsentì uita per ignem tribulationis, quorum uritur amor spiritualium rerum, dum homines contristantur de amissis, & ad hoc uidentur sonare multæ scripturæ quemlibet exhortantes, ut sit diligens, quatenus modus in secunda suppositione huius materie expressum. Quam diu uiuit in hac uita à peccatis expurgetur, non suppodiatius super futura somniata & incerta purgatione, sicut hæc persuadet beatus Gregorius 4. Dialog. capite quadragesimo primo, ex scriptura multiplici primo. Ioannis 5. cap. Qui audierit uerbum meum, & credit ei, qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, sed transit à morte in uitam. Et per illud Ioan. 9. Me oportet operari opus eius dum dies est, uenit nox quando nemo operari potest, & per illud Apoc. 14. Hic est patientia sanctorum, qui custodiunt mandata Dei, & fidē Iesu Christi, & audiui uocē de cælo, dicentē mihi: Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Ammodò iā dicit: Spiritus ut requiescāt à labori-

à laboribus suis. Opera enim illorū sequuntur illos, et per illud Eccl. 19. Quodcunq; potest manus tua instanter operari, quia nec opus, nec ratio, nec scientia erit apud inferos, quò tu properas, & per illud Eccles. 11. Si ceciderit lignum ad Austrum aut Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit, & per illud Eccles. 14. Ante mortem benefac, & ante obitum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.

T E R T I A P A R S
Doctorum.

C A P V T X I X.

Doctores etiam aliqui prout Mag. Pragenses quidā nos intelligunt, sonant pro loco Purgatorij eorum in quo ut somniāt animarum qui saluandi sunt, non satisficientes in hac uita pro peccatis de corporib. exeuntes, poenas sustinentes sensibiles igne ipsius purgētur, De quo post purgationem aliqua exeunt prius, aliqua posterius, aliqua in die iudicij, Quibus fideles hic in uia debeant ieiunijs & orationibus eleemosynis & sanctis oblationis suffragari, & illi pro sui fundamento etiam nituntur capere, illa prædicta uerba Apostoli de ligno, foeno, stipula, in quibus secundum quorundam magistrorum expositionem Apostolus primò tangit unicuique

unicum fundamentum omnium saluandorum, scilicet Iesum Christum Dominum nostrum, sed non tangit eorundem supra predictum fundamentum.

Fundatorum opera duplicia, bona scilicet & defectuosa. Bona intelligentes per aurum, argentum, & lapides pretiosos. Defectuosa autem per lignum, fœnum et stipulam. Tertio inquit, tangit Apostolus, quòd talia utraq; opera modo cõmuni non prius, nisi in morte declarantur, quia nunc nescit homo an amore, an odio dignus sit. Die uerò mortis ueniente quid puniendum, quid uerò remunerandum sit, uidebitur. Quarto inquit, ostendit Apostolus, quòd cuiuslibet opus, quale sit ignis Purgatorij, qui post mortem reuelabitur, probabit. Bonum ut sibi placidum & conueniens acceptando, probando, & non cremando. Defectuosum uerò ut sibi displicens, exurendo & purgando, & ultimo inquit, concludit Apostolus, quòd sit purgatus suo tempore per suffragia uimorum saluus erit, quasi per ignem. Sed dato, quòd aliqui Doctores sic sentiant, ut Magistri Pragenses eos in hoc sequentes sic ut predictum est, illa uerba Apostoli interpretantur. Tamen si benè aduertantur præfata uerba Apostoli non uidetur, quòd possint de uirtute sermõis ad sensum predictum Magistrorum uerificari, ut patebit latius in secunda parte huius scripti:

Ex iam dictis patet, quòd Doctores in materia Purgatorij non concordant, sed in differentiâ multiplici

tiplici laborant, imò ut infra dicitur, aliqui eorum in uno loco uidentur pro eo sonare, & in alio loco aliter de ipso scribunt homines de eo in dubium relinquentes, & per consequens ex doctorum sanctorum se in lege Dei expressa ineuitabiliter fundantium concordia sententia non est deducibile, quod fideles necessitarentur credere, ut articulum fidei, talem locum Purgatorij post hanc uitam esse, qualem Magistri predicti pro fide predicant & astruunt, quod sit probandum.

Ista omnia antedicta benè pensantes & aduertentes ex fide scripturæ & sententijs sanctorum Doctorum se in eadem ueraciter fundantium, non negamus animas saluandorum super fundamentum, quod est CHRISTVS, scenum, lignum, uel stipulam edificantium in uita presenti per ignem tribulationis, & alios modos in secunda suppositione istius materiæ expressos, uel in mortis articulo statim in aduentu futuri sæculi, uel si quid purgandum in eis post hanc uitam remanserit, per ignem emundatorium extremi iudicij, uel aliter secundum Dei ordinationem ab omnibus suis inquinamentis finaliter purgandas, hortantes quemlibet, ut in presenti sic uiuat, ut statim in mortis articulo in aduentu futuri sæculi purgatus alia postea purgatione non indigeat, cum ex tertiâ suppositione huius materiæ, melius est in uita mereri, quàm post optare incerta suffragia, & uia tior est

tior est ut bonum, quod quis post mortem suam sperat, agi per alios, agat dum uiuit ipse per se. Somnium enim locum Purgatorium Magistrorum prædictum attendentes circa hoc uarietatem doctorum, & non uidentes aliquam scripturam expressam nos ad tenendum ipsum pro fidei articulo sub æterna damnatione obligantem & considerantes homines ex hoc continuè in peius proficere, ipsum astruere & promouere pro fidei articulo non audemus, & per consequens quàm diu de ipso ex scriptura certificati non fuerimus, non uidebitur nobis, quòd fideles hìc in uia debeamus adhortari, ut talibus quos somniant in tali Purgatorio existere ieiunijs & orationibus, elemosynis, & sanctis oblationibus debeant suffragari publicè profuentes, quòd ex quo Magistri non possunt docere ex aliqua propositione sacre scripturæ inuitabiliter, quòd post hanc uitam sit aliquis talis locus sic purgandi, nec ipsum dictum est primarium significatum alicuius partis sacre scripturæ.

Relinquitur, quòd insecure Magistri illud tale Purgatorium promouent, & per consequens infundabiliter uexant necessitantes eos ad hoc, ut hìc in uia talibus ieiunijs & orationibus, elemosynis, & sanctis oblationibus suffragentur, cum ut ex prædictis patet, illæ animæ saluandorū, qui hìc non satisfecerunt, post exitum de hac uita, pro tempore, quòd inter hominis mortē & ultimā resurrectionē interpo-

A P O L O G I A

interpositum est, non uidentur sine corporibus poenas aliquas corporales sensibiles sustinere.

Hinc beatus Hieronymus scribit & ponitur transumptiuè 13. q. 2. in præsenti seculo simus, siue orationibus, siue consilijs, inuicè posse nos adiuuare. Cum autè ante tribunal Christi uenerimus, nec Iob, nec Samuel, nec Noë rogare posse pro quoquàm, sed unumquemq; portare onus suum. Hec ille.

Ad idem est & August. in Psal. 48. Super illo uerbo: sepulchra eorum domus illorum in æternum. Quid est hoc tollunt panem & merum ad sepulchra, & inuocabunt ibi nomina mortuorum. Putas quantum inuocatum est nomē, illius diuitis post ea, quando incbriauerunt se homines in memoria illius, nec descendebat una gutta super linguam ipsius ardentem, uentri suo seruiunt homines non spiritibus mortuorum, non peruenit ad spiritum mortuorum, nisi quòd secum uiui fecerunt. Si autem uiui secum non fecerint, ad mortuos nihil peruenit. Hec ille.

Pro eodem est & Chrysostomus. De opere perfecto morali, 20. qui sic dicit: Vnius cuiusq; finis est in ianuis, & si senex aliquis fuerit, & si iuuenis, non est hinc abeuntes misericordiam emere. Nam neq; deprecantes potiri uenia, & Abraham si deprecator fuerit, & si Noha & Iob, & si Daniel, Donec igitur tempus habemus, tendamus ad uera, ut nobis ipsis liberam poenitentiam congregemus, misericordiant

diam copiosam, trāssponamus uniuersa in coelum & in tempore decenti, & in quo maxime eis indigebimus, omnibus fruamur. Hæc ille. Et idem moralis 74. scribit: Si enim nunc non egerimus bona, scilicet cum abierimus, de reliquo nihil possibile est fructificare. Hæc ille. Et secundum Hilarium superius allegatum: Peccatum, quod in hac uita non corrigitur, eius uenia frustra postulatur.

Ex quorum Doctorum dictis elici potest, quod perficere ex opere al quo, est solum in uia existens, sed homines post mortem iam non sunt proprie & simpliciter uiatores. Ergo non uidetur, quod mortui de suffragijs alicuius uiatoris iuuari possint, & cum ex uerbis Apostoli necesse est unumquemq; portare onus suum, & omnes nos necesse sit manifestari ante tribunal Christi, ubi recipiat unusquisq; propria corporis, quæ gessit siue bonum siue malum, & etiam Apocal. 14. Opera morientium sequuntur illos, Et secundum Gregorium: Qualis quisq; in morte inuentus fuerit, talis in die iudicij præsentabitur.

Sequi uidetur, quod ex his, quæ post mortem geruntur, quando extra corpus erunt, nihil eis accrescere poterit ex alicuius operibus, quamuis Thomas in 3. part. summæ suæ, has authoritates ad sensum consuetum modernæ Romanæ curiæ exponat. Cum autem eius expositio careat authoritate sacræ scripture, ideo secundum dictum beati Hieronymi eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Ne. essarium

rium enim esset primum locum talis Purgatorij stabilire, si dictæ eius glossæ, dictis scripturis taliter poterint adaptari, nihilominus tamen si quis poterit ex scriptura sacra expressa, & sententijs sanctorum Doctorum se in eadem ueraciter fundantium, illud prædictum Purgatorium ostendere uel probare, uel si Deus ex occultis suis iudicijs uult aliquem post hæc uitam, sic uel aliter purgare, parati sumus, sicut & semper antè fuimus gaudenter audire, & non quouis modo cōtradicare, quod tamen usq; huc nobis minimè est ostensum.

DE INVOCATIONE SANCTORUM
in cœlo, & quæ mala occasione
promotionis ipsius in
populo oriun-
tur.

C A P V T X X.

IAm restat circa alium punctum, in quo à nobis aduersantibus discrepamus, uidelicet inuocatione Sanctorum nostrâ enodare intentionē, quam quidam ex Magistris Pragenses pro fidei articulo magna cum diligentia prædicant publicè promouentes, quòd Sancti ex uti corpore, sunt à nobis uictoribus, modo quo communiter Sacerdotes & alij populares ex eorum instructione cōsueuerunt ipsis iniungent;

iniungentes ieiunia, orationes, intensa, oblationes,
 &c. pro suffragio & intercessionē necessario in-
 uocandi. Per quam inuocationem & ipsius in popu-
 lo authorisationem & magnificationē populus ex
 eo carnaliter & erroneè de Deo, & Sanctis sentire
 uidebitur, ut in parte huius secunda specificabitur.

Quod detestandum & summopere fugiendum
 est, de qua Sanctorum inuocatione locuturi.

Primo & ante omnia supponimus, quid nominis
 inuocationis illud uidelicet, quòd exemplum de his
 qui filij sunt, legitur capitulo per uenerabilem. In
 nouella per Ioannem Andreæ scribitur: Inuocare est
 ipsius desiderium ex tota anima & mente ad solum
 Deum in oratione per uocem emittere. Hæc ille.
 Et illud doctoris Euangelici in Epistola: Corde cre-
 ditur ad iustitiam. Inuocare est creaturam secun-
 dum charitatem uocare in animo Deum suum, &
 isto modo Christus inuocauit Patrem suum quoti-
 diè, nec dubium est, quoniam si quis sic inuocat pro suo
 tempore, erit saluus. Hæc ille. Et illud Dictionarij:
 Inuocatio nihil aliud est quàm instans & diligens
 uocatio, oratio & supplicatio. Et habet fieri erga
 illum, à quo auxilium expectatur, sicut est Deus,
 qui procul dubio semper est in necessitatibus inuo-
 candus, Psal. in tribulatione mea inuocaui Dominū.
 Ideò Iona in periculo existenti dictum est: Quid tu
 sopore deprimeris, surge & inuoca Dominū tuum.
 Hæc ille.

Supponimus secundò, quòd homo Christus est unus mediator Dei & hominum 1. Tim. 2. & aduocatus apud Patrem, propitiatioq; pro peccatis nostris, 1. Ioan. 2. Accedens per semetipsum ad Deum semper uiuens ad interpellandum pro nobis Heb. 7. & ostium, per quod si quis introierit, saluabitur, Ioan. 10. Et nemo uenit ad Patrem nisi per eum Ioan. 14. Qui facit pro quocunq; quis petierit Patrem in nomine suo. Ibidem. Et dat omnibus affluenter. Iac. 1. imò priusquam moneatur quodammodo se ingerens fiat ad ostium & pulsat ut ei aperiatur, Apoc. 3.

Supponimus tertio, quòd Sancti non sunt nobis relictì ad cultum, sed ad imitationem, sicut ad hoc significandum Petrus non permisit se Cornelio adorari, Act. 10. & Ioanni Angelus Apocal. ultimo, & Apostol. dixit: Imitatores mei estote fratres sicut & ego Christi, 1. Cor. 11. Et obseruate eos, qui ita ambulat, sicut habetis formam nostram, Phil. 3. Et pro illo est Aug. in de uera religione sic scribens: Nost sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Qui si piè uixerunt, non sic habentur, ut tales quæ erant honores. Sed illum à nobis coli uolunt, quo illuminante letantur, meriti sui non esse consortes. Honorandi sunt ergò propter imitationem, non adorandi propter religionem. Hec ille.

Istis præsuppositis dicimus, quòd nullus homo alius à Christo corpore exutus, est certus & uerus mediator Dei & hominum, aut aduocatus, uel interpellat.

terpellator pro peccatoribus apud Patrem. Pro illa interpellatione à uiatoribus necessario inuocandus, qui secundum Apostolum ad Heb. 7. Christus ad hoc iureiurando Sacerdotium suscepit & interpellat, et oret pro humano genere, quod per suam mortem reconciliauit, & est unicus & solus mediator Dei & hominum, aut aduocatus seu interpellator pro peccatoribus in caelo apud Patrem, ita sufficiens, quòd nullum Patrem in suo nomine petentem negligit, nec orans repellitur, sed pro sua reuerentia prohibis, pro quibus orauit, exauditur, Heb. 5. Quia accedens per semetipsum ad Deum semper uiuens ad interpellandum pro nobis est sanctus, innocens, impollutus, segregatus, à peccatoribus excelsior caelis factus & filius primogenitus Patris, Heb. 7. Qui unicus ex omnibus hominibus, ibi existentibus habet ius & auctoritatem alios sanctificandi orandiq; seu interpellandi pro eis, sicut hoc patere potest ex auctoritatibus scripturae in secunda suppositione huius materiae alligatis, & auctoritatibus sanctorum doctorum hic inferius immediate subscriptis.

Scribit enim primò August. in Psal. 64. de Christo: Tu Sacerdos, tu uictima, tu oblato, tu oblatio. Ipse Sacerdos est, qui nunc ingressus interiora ueli, solus ibi existens, qui carnem gustauerunt, interpellat pro nobis. In cuius rei figura in illo primo populo, & in illo primo templo, unus Sacerdos solus intrabat in Sancta sanctorum. Populus omnis foras sta-

bat, & ille, qui solus ingrediebatur in interiora ueli offerrebat sacrificium, populo foris stante. Hæc ille.

Idem in Psal. 44. super uerbo: Deus refugium nostrum et uirtus, multæ sunt tribulationes, sed in omnibus tribulationibus ad Dominum confugiendum est, siue sit tribulatio in familiari re, siue sit in salute corporis, siue de periculo charissimorum, siue de aliqua re ad huius uitæ sustentaculum necessaria, imò aliud refugium non debet esse Christiano, quàm saluator eius, quàm Deus eius, quò confugerit fortis sit. Hæc ille.

Idem Psal. 110. super uerbo: Tu es Sacerdos in æternum scribit. Quid agit, qui est in dextera Dei, interpellans pro nobis tanquàm Sacerdos, intrans in interiora ueli, in Sancta sanctorum, in secreta cælorum, ille solus non habens peccatum, & ille facile mundans à peccatis. Hæc ille. Idem super Ioan. Homel. 22. super illo uerbo: fugit in montem ipse solus, sic scribit. Primogenitus à mortuis ascendit supra omnes cælos, et interpellat pro nobis, interea illo sursum posito solo Sacerdote magno, qui intrauit in interiora ueli, foris populo constituto. Hunc enim Sacerdos ille in lege ueteri, quòd hoc semel in anno faciebat, significabat. Hæc ille. Idem in Psal. 9. super uerbo miserere mei Deus, uide humilitatem, de inimicis meis sic scribit: Quare non dixit, miserere nostri Domine, uide humilitatem nostram, ab inimicis nostris tanquàm multi pauperes clament, sed tanquàm unus miserere mihi Domine, an quia unus interpellat pro sanctis, qui prius

prius pro nobis pauper factus, cum esset diues. Istæ
 oēs authoritates B. August. ad hoc sonare uidentur,
 quòd Christus solus in cælo existēs de numero eorū,
 qui carnē gestauerūt, interpellat pro nobis, & quòd
 hoc rectē figuratū fuit in illo Sacerdote magno, qui
 solus intrans in Sancta sanctorū offerebat sacrificiū
 pro populo, de quo habetur Leuit. 16. Et non solum
 Aug. de Christo hoc sentētiat, sed & alij cōmuniter
 hūc textū prædictū de Sacerdote magno postillātes
 hoc uidētur inculcare, unde Orig. Omel. 9 sup Leui.
 tractās eūdē textū inter cætera applicās historiā ad
 Christū scribit. Si cōsiderē uerū Pōtificē meū, Domi-
 nū Iesum Christū, quomodo in carne qdē positus per
 totū annū erat in populo. Annū illū de quo ipse dicit:
 Euangelizare pauperib. misit me, & uocare annum
 Domini acceptū et diē remissiōis, aduerto quomodo
 semel in isto anno in diē repropitiatiōis, intrat in
 Sācta sanctorū. Hoc cū impleta dispēsatiōe penetrat
 cælos, et intrat ad Patrē, ut eū propitiū humano ge-
 neri faciat. Ac exoret pro omnib. credētib. in se, hāc
 repropitiatiōē eius, qua hominib. repropiciat Pa-
 trē sciēs Ioannes Apostol. dicit: Hoc dico filioli, ut nō
 peccemus, quod & si peccauerimus, aduocatū habe-
 mus apud Patrē, Iesum Christū, iustū, & ipse est re-
 propitiatio pro peccatis nostris. Sed et Paul. cū di-
 cit de Christo: Quem Deus posuit propitiatiōem in
 sanguine eius per fidē, et ideo diē propitiatiōis ma-
 net nobis, usq; occidat sol, id est, usq; finē mundus ac-
 cipiat,

cipiat, stamus enim nos præ foribus, operientes Pontificem nostrum, comorantem intra Sanctuarium, id est, apud Patrem, & exorantem pro peccatis eorum, qui se expectant. Hæc ille. Pro eodem est & Beda, qui super illo Luca: Zacharias secundum consuetudinem sacrificij sorte exijt, ut incensum poneret, ita scribit: Incensum in Sancta sanctorum à Pontifice deferri expectante foris templum omni populo decima die decimi mensis est iussum, & hanc diem expiationis siue propiciationis uocabant, cuius diei mysterium apostolus ad Hebræos pandens: Iesum ostendit Pontificem esse uerum, qui in sanguine proprio secreta cœli subiit ut propitiu nobis faceret Patrem, & interpellaret pro peccatis eorum, qui adhuc præ foribus orantes expectant. Hæc ille.

Ambrosius super eodem textu ita scribit: Hic autem ille summus Sacerdos, qui adhuc sorte queritur, quia uerus adhuc ignoratur. Qui enim sorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur. Ille ergo querebatur uerus in æternum Sacerdos, qui non hostiarum cruore, sed proprio Deum Patrem generi reconciliaret humano, & tunc quidem uices erant, nunc autem est perpetuitas. Hæc ille.

Pro eodem est Hugo super Lucam, qui mysticat introitum Zachariæ in templum Domini, ita scribit: Per ingressum Zachariæ in Sancta sanctorum significatur ingressus Christi in cœlum. Sicut enim summus Sacerdos intrauit in Sancta sanctorum, ut interpellaret pro populo foris stante, sic Christus impletis

impletis omnibus intrauit in caelum, ut interpellet pro nobis Patrem, adhuc stantibus foris, unde ad Heb. 9. Non in manufacta sancta intrauit Iesus exemplaria uerorum, sed in ipsum caelum, ut appareat nunc uultui Dei pro nobis, Hæc ille.

Ex quibus auctoritatibus benè pensatis potest qui ibet cognoscere, quòd solus Christus inter eos qui carnem gestauerunt existens in patria, est certus & uerus mediator Dei & hominum, aut aduocatus seu interpellator pro peccatoribus apud Patrem & sufficiens pro omni usq; in finem mundi accipiat, imò si aliquid à Trinitate concedi debeat per orationem alicuius, solum Christum Iesum oportet mediare, ut potest cognosci ex auctoritatibus Sanctorum infra scriptis.

Scribit enim Gregorius libro 22. moralium, tractans illud Iob 31. Quis mihi tribuat adiutorem, ut ipse desiderium meum audiat, Iste modo B. uir postquam tot uirtutum suarum sublimia narrauit gesta, sciens quod suis meritis ad summa peruenire nequeat, adiutorem quærit, & quem nimirum, nisi unigenitum Dei filium contemplatur, qui humanam naturam in hac mortalitate laborantè adiuuit. Infra hunc ergò B. Iob per totius Ecclesiæ significationem loquens, mediatorem requirit. Quod cum dixisset, quis mihi tribuat adiutorem à parte subdit, ut desiderium meum ipse audiat. Sciebat quippe quod ad liberationis æternæ requiem humanæ preces, nisi

per aduocatum suum audiri non possent. De quo per Ioannem Apostolum dicitur: Si quis peccauit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi, de quo Paulus Apostolus dicit: Christus Iesus qui mortuus est pro nobis, imò & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis, & infra ad propositum subdit. Adiutor ergò queritur, ut desiderium exau liatur, quia pro nobis nisi interpellatio mediatoris intercederet, ab aure Dei proculdubio nostrarum precum uoces silerent. Hæc ille.

Ecce quod iste sanctus dicit, quòd humanæ preces non nisi per aduocatum Iesum Christum, audiri non possunt, & quia nisi interpellatio eius pro nobis intercederet ab aure Dei, proculdubio nostrarum uocum preces silerent. Pro eodem est & Remigius super illo ad Eph. 2. Quia per ipsum habemus accessum, &c. qui ita scribit: Per ipsum accedimus ad Deum patrem, quia ipse est mediator noster. Pro eo quod homo Deus & per illum preces nostras ad Deum dirigimus, & per illum introducimur in conspectum eius, sicut ipse dicit: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Hæc ille. idè supra Heb. 7. accedens per semetipsum ad Deum semper uiuens ad interpellandum pro nobis, ita scribit, nos qui puri homines sumus, per illum accedimus ad Deum patrem, quia mediator noster existens Dei uultui assistit pro nobis, dirigens per illum preces nostras ad patrem, unde sacerdotes Ecclesiæ

altari assistentes dicant: Suscipe domine pater preces
populi tui per dominum nostrum Iesum Christum fi-
lium tuum, & quia semper uiuit, semper interpellat
pro nobis. Hæc ille. Glossa ibidem secundum aliam li-
teram potest saluare, quos accedentes ad Deum, nõ
per alium sed per seipsum, secundum quod ipse ait:
Nemo uenit ad patrem, nisi per me, Hæc ibi.

Pro eodem est & Chrysost. super illo, 10. 15. & in
illa die me non rogabitis quicquam, qui sic scribit, id
est, non indigebitis mediatore ad interpellandum, sed
sufficit nomen meum, quod inuocantes omnia accipi-
etis. Hæc ille. Istæ autoritates omnes ad hoc sonant,
quod humanæ preces nõ sortiuntur effectũ suum ni-
si per aduocatum Iesum. Hinc adhuc ad maiore cõfir-
mationẽ horum doctor Euangelicus in suo trialogo
scribit. Certũ est ex fide, quod oportet mediatorẽ dei
et hominũ Iesum Christũ, si aliquid à trinitate conce-
di debeat, p̄ orationẽ cuiuscunq; mediare, cum ex fi-
de à quocunq; catholico concedi debeat, quod huma-
nũ genus perpetuò damnaretur, si non Samaritanus
iste curã eius gessisset, ut notat Euangelium Lu. 10. &
hinc inq̄t multi probabiliter existimant, quod foret
expediens Christum inter homines simpliciter ado-
rari, quia ipse est mediator & intercessor optimus,
paratissimus, quò ad utrumq; extremũ & benignis-
simus ratione charitatis & misericordiæ infinitæ.
Stultus ergò foret, q̄ aliũ intercessorẽ req̄reret. Chri-
stus. n. semp uiuens apud patrẽ ad interpellandũ pro
nobis

nobis est paratissimus, illapsus in mentem, cuiuslibet uiatoris, qui ipsum dilexerit, unde non oportet ad captandum eius colloquium sanctos alios mediare, cum sit benignior & pronior ad iuuandum, quam aliquis eorum, & moueret, quod mens uiatoris ex multitudine quos orat beatorum dispergitur, cum affectio à Christo laxatur, eò quod tantum sit finita, & per consequens remittitur, cum sit in plures sic dispersa, & multis, inquit, uidetur, quando oratio singulariter directa fuerit ad illam personam mediam pro adiutorio spiritali, tunc plus profecit & Ecclesia creuit, quam facit modò multis intercessoribus adiuuentis. Hæc ille.

Ex cuius eximij Doctoris uerbis patent plura. Primò, quòd nisi per mediatorem Christi nihil impetratur à Deo.

Secundò, quòd secundum probabilem estimationem plurimum expediens, Christam simpliciter inter homines adorari, quia est mediator & intercessor optimus benignissimuscq; quoad utrumq; extremum.

Tertiò, quòd non oportet ad captandum eius colloquium, sanctos alios mediare, cum est pronior ad iuuandum, quam aliquis eorum, & est ad hæc à Deo constitutus, ut per eum intercessio transeat, qui magis est misericors, quam alij, melius noscens omnes indigentias hominum quam alij: & cui maior cura est de genere humano quam alijs, quia pro
quibus

quibus iustum est intercedere, pro illis ipse sanguinem suum sudit. Quorum nunquam obliuiscitur, habens eos descriptos in manibus suis, & pectore.

Quartò tangit, quòd stultus foret ex hoc, qui alium intercessorem quæreret, & relicto isto certo & uero, incertos requireret.

Quintò tangit, quòd quondam in Ecclesia primitiua singulariter oratio directa fuit, ad illam personam mediam pro adiutorio spirituali.

Et sextò, quoniam sic fuit, quòd pro tunc plus profuit & creuit Ecclesia, quàm facit modò multis intercessionibus adiuuentis, quæ sunt quasi nubes sine aqua, solem iustitiæ Christum uerum intercessorem, ecclipsantes & ueram spem & uanam spem pluuiam spiritualis adiutorij expectantibus, relinquentes. Ista Christi intercessio & interpellatio, de qua iam longus sermo præcessit, sic debet promoueri & magnificari, quasi certa & uera & à Deo ordinata, quem Apostoli in locis commemorant, qui cum sit iustus, uobis existentibus impotentibus & insufficientibus, ex se ipse est propitius, tam adiuuè, quàm passiuè, pro peccatis nostris. Nam ipse seipsum obtulit pro redemptione nostra, & fuit hostia, per quam est propiciatio facta, 1. ioh. 5. Misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris, & sic remedium contra peccatum, ne cadamus in desperationem, est confugere ad Christum, patronum causarum nostrarum, qui iugiter tuetur causam nostram

stram interpellando Patrem pro nobis, quem nedum aduocatum habemus, sed & iudicem. Quia omne iudicium dedit pater filio, Io. 5. & per consequens magna spes poenitentib. est, quod aduocatus noster factus est iudex noster, ista est fides fundata in Christo, tanquam firma petra, in qua coetus Apostolorum semper rectè stetit, donec homo peccati non accepit, potestatem & nouas Sanctorum non introduxit intercessionem, quam omnes Sancti alij à Christo corpore exuti hinc existentes tenuerunt, & hodie confitentur, quod non aliunde nisi per oblationem & intercessionem ipsius sunt saluati, & ad regna peruenerunt caelestia, quando dicunt illud Apoc. 5. Dignuses Domine Deus accipere librum & soluere signacula eius & aperire eum, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua, & fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, Ecce adhuc in terra resonat eorum humilitas & gratitudo, quando recognoscunt se in sanguine ipsius, illuc ingressos, & quicquid boni habent totum per ipsum se habere confitentur, quod & de omnibus hinc existentibus tenent, quod scilicet non adipiscuntur aliquod bonum, nisi per ipsum optimum mediatorem & intercessorem.

C A P V T X X I.

CUm ergò Christus solus & unicus in caelo existens, de numero eorum, qui carnem gesserunt, sit certus & uerus aduocatus & inter-
pel-

pellator, habens ius & autoritatē sanctificandi alios pro alijsq; orandi & interpellandi & nullus alius ab ipso est, qui ab officio à Deo sibi dato, alios possit sanctificare & pro eis interpellare, qui necessario pro ista interpellatione esset inuocandus & orandus. Relinquitur quod sancti corpore exuti, alij à Christo, qui carnem gestauerunt, non sunt certi & ueri aduocati, intercessores aut interpellatores dicēdi, quod uiantes debeant pro tali intercessione necessario inuocare. Prima pars patet ex sententia prædictarum autoritatum sanctorum doctorū, in cap. præcedenti adductarum, ueraciter se in lege fundantiū. Secunda autem pars patet primo ex isto, quia ex nulla proportione s. scripture se inuitabiliter, quod sancti corpore exuti alij à Christo, qui carnem gesta uerunt, sint certi & ueri aduocati, & intercessores, & interpellatores, quos uiantes debeant pro tali intercessione necessario inuocare. Nec ipsum datū est primarium significatū alicuius partis s. scripture, quod aliquis sanctorum hic existens, unq; orasset alium sanctum mortuum, corpore exutum, sed semper & ubiq; lex noua siue uetus, ubi aliquid loquitur de oratione, ipsam docens, semper docet seu præcipit, ut solus Deus oretur, sicut hoc confirmans Christus Matt. 4. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruias. Si enim adoratio uel oratio saltem proprie dicta, aliquo iure alteri competeret, nō diceret Christus: Et illi soli seruias. Ergo Sancti corpore exuti

Et alij à Christo non sunt certi & ueri aduocati, intercessores, uel interpellatores dicendi, quos uiantes debeant pro tali intercessione necessario inuocare, quod fuit probandum.

Secundò hoc idem patet ex isto. Si Sancti corpore exuti, alij à Christo de numero eorum, qui carnem gestauerunt, essent certi & ueri aduocati & intercessores aut interpellatores dicendi, quos uiantes debeant pro illo necessario inuocare, tunc ex fide scripturæ deberet ostendi, quod ipsi sint medium à Deo ordinatum & sufficiens, ad hoc quantum est ex parte Dei & hominum indigentium, ut semper sint parati audire preces nostras, habentes ad hoc sufficientiam pietatis, ut omnibus suis oratoribus possint sine defectu propitiari, & quòd habeant cognitionem concernentem medium, id est, quod equaliter participat utroq; extremorum, scientes quid hic & alibi sit necessarium, & quòd Deus uelit pro parte sua, ut sic pro illis intercedant, sed quia hoc non uidetur dicendum, cum secundum Apostolum 1. Timot. 2. Vnus est mediator Dei & hominum Christus Iesus, qui passus est pro salute omnium, cuius testimonium confirmatum est temporibus suis, quia à tempore ueteris testamenti confirmatum est per Prophetas, eius aduentum præuerti-
tantes, & pro tempore noui testamenti, post ipsius & Apostolorum prædicationem, miraculis confirmatum. Et illud medium nemo esse potest, nisi fuerit De-

rit Deus & homo, sicut patet ex auctoritatibus infra scriptis. Scribit enim Augustinus lib. 1. conse. Mediator inter Deum & hominem oportebat, ut aliquid haberet simile Deo, aliquid simile hominibus, Deo similis longè esset, ne in utroq; Deo similis esset ab hominibus, & uia mediator non esset. Hec ille. Pro eodem est & idem August. in Psalmo 133. super illa uerba: Psallite nomini eius, quoniam suavis est. Et Remigius super eodem uerbo Apostoli: Mediator Dei & hominum. Homo Christus Iesus. Quorum hinc uerba ponere breuitatis causa omisimus. Ex iam dictis potest cognosci, quod Apostoli Christi non se nec alios puros homines exutos à corpore, mediatores Dei & hominum, aut aduocatos aut interpellatores pro peccatoribus apud Patrem uocauerunt, sed Christum Iesum, ut patet ex auctoritatibus scripturæ, & sanctorum doctorum sententijs, se in fide scripturæ ueraciter fundantium, iam supra allegatis. Et hoc tenentes non ex hoc errant hæretici nec schismatici, sicut in huius rei signum & confirmationem precedentium, notanter apparere potuit ex ista auctoritate. B. Augustinus infra scripta. Scribit enim sermone primo super Epistola Iohannis, super illo uerbo, 1. Ioh. 2. Aduocatum habemus hoc modo: Iste uir iustus & magnus, qui de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat. Ille qui de pectore Domini diuinitatem eructauit. In principio erat uerbum, &c. Christum aduocatum

catum posuit, non se, & maluit se ponere in numero
 peccatorum, ut haberet aduocatum Christum, q̄ po-
 neret se aduocatum pro Christo. i. loco Christi, & in-
 frà subdit: hoc qui tenuit hèresim non fecit. Inde. n.
 schisma factum est. Cùm dicunt homines, nos iustū
 sumus, cùm dicunt homines, nos sanctificamus im-
 mundos, nos iustificamus impios, nos petimus, nos im-
 petramus. Ioannes autem dixit: Etsi quis peccauerit,
 aduocatum habemus Christum Iesum, et ipse
 est propiciatio pro peccatis nostris, hæc ille. In qui-
 bus uerbis B. August. uolens ostendere unum esse &
 sufficientem aduocatum Christum Iesum, pro omni-
 bus qui egent gratia Dei. Commendat Ioannem Apo-
 stolum ex eo, quod existens uir iustus & magnus, &
 cui Deus multa præ alijs reuelauit, ab humilitate nõ
 excidit, sed ex illa in numero se ponens peccatorū, nõ
 se, sed Christū pro se alijs aduocatum confitetur, &
 in hoc quòd dicit, cū de pectore Domini mysteriorū
 secreta biberat, dat intelligendū, quod Ioh. bene in-
 tellexit officiū Christi, in quo Deus ipsum constitu-
 rat ad sensum prius expositū, quod ipse & alij tunc
 spiritu Iesu abundantes habuerūt, credentes & tenē-
 tes, quod omnes peccauerūt, & omnes egent gratia
 Dei, & quòd nisi unus. ex omnib. est, qui omnes san-
 ctificat, & illi q̄ sanctificantur locū sanctificantis te-
 nere nõ possunt. Christū autē semper confiteri debēt.
 Sempiternum habere sacerdotiū, & saluare in ppe-
 tuū posse, paratū semp ad interpellandū pro his, q̄ p-
 cun-

eum sanctificantur, & ideo Ioannes noluit nomē ad-
 uocati uel interpellatoris inducere. Cum. n. sciret san-
 ctos oēs hoc credere & tenere, quod p̄ orationē &
 oblationē Christi sunt saluati, nō est possibile, quōd
 peruenientes illuc per ipsum, suum quod eos non
 concernit sibi usurpent officium, ex superbia hoc fa-
 cere non possunt, nec ex officio, quia sciunt esse al-
 terius, nec ex necessitate, quia Christus pontifex fu-
 turorum bonorū melius supplet indigentias omnium,
 q̄ omnes alij Sancti, sanctificans quemlibet in se cre-
 dentem & impetrans cuilibet necessarium sibi quo
 indiget, & per consequens non est possibile, quod ex
 aliqua arrogantia sancti usurpent sibi officium Do-
 mini sui, sed eandem humilitatem quam hic habue-
 runt, habent, & gratitudinem eius beneficij, quōd
 uidelicet mediante eius intercessione illuc peruene-
 runt semper ostendunt, ex quo Ioannes Apostolus ex
 testimonio August. prædicto, ex humilitate & uera
 cognitione declinavit se ponere aduocatū pro Chri-
 sto, datur intelligi, et ista uia intercessionis sancto-
 rum, quam magistri promouent, non processit ex hu-
 militate & uera cognitione Christi unici, certi, &
 ueri aduocati, sed ex cæca superbia, & ex illo per-
 consequens uidetur sequi, quōd qui ausus fuit sepo-
 nere aduocatum pro alijs, aut ius omne alijs Sanctis
 ut aduocati necessariò inuocandi sint pro peccato-
 ribus, tradidit cæcus & superbus fuit, non ha-
 bens ueram cognitionem de uno, certo & uero

aduocato Christi, quod Ioannes Apostolus non fecit, ex dicto testimonio August. ulterius ex uerbis praemissis Augustini elicitur, quod qui tenet uel tenuit, unum esse certum & sufficientem aduocatum Christum, ille non tenet nec tenuit haeresim, nec schisma fecit aut facit, sed ab inde ueniunt & uenerunt schismata, quando aliqui tenuerunt aut tenent plures esse aduocatos, aut mediatores inter Deum & homines. Et quando officium unius certi & ueri aduocati Christi sibi usurpantes dicunt, nos iusti sumus, nos sanctificamus immundos, nos iustificamus impios, nos petimus, nos impetramus per hoc occasionem schismatis praestiterunt, ut illi Christum & alij Sanctos respiciant, & illi unum sanctum quem estimant sanctiorem & alij alium attendant. Qua ex re post modum uariae Sectae in fide succreuerunt, & uariae religiones introductae sunt, ex hoc cum spirituales sic infideliter suas & aliorum magnificarunt orationes.

CIRCA INVOCATIONEM SANCTORUM finalis nostra intentio.

C A P V T XXII.

Ista omnia nos pensantes & aduertentes, & praesertim ex suppositione prima huius materiae percipientes ex communi sententia doctorum, quod inuo-

inuocatio siue oratio saltem propriè dicta est, cultus soli Deo exhibendus, & non uidentes expressam scripturam legiti sub aeterna damnatione obligantem, ad tenendum pro fidei articulo, quod Sancti ex uti corpore à fidelibus hìc uiuantibus. Pro suffragio & intercessione necessario sunt orandi aut inuocandi modo, quo communiter Sacerdotes & alij spirituales ex eorum instructione consueuerunt, nec uidentes Apostolos nobis aliquod de hoc expressum tradidisse uel reliquisse documentum. Nec exemplum ad hoc habentes alicuius Sancti, in noua lege uel ueteri canonizati, qui sic in oratione Sanctos in coelis existentes inuocet, uel Ecclesiam primitiuam Euangelio conuersantem, cuius rectores fuerunt Apostoli, aliquid de tali inuocatione præcepisse aut instituisse, cum Gregorius primus primùm legitur instituisse, fieri inuocationes, Notantesq; populum in his in magna superstitione & perfidia laborare continuò. Ea intentione Sanctos non oramus nec inuocamus, nec suffragia eorum ab ipsis postulamus, ne cultum soli Deo debitum ipsis impendamus, quãnis, sicut docet eos ex secunda suppositione nostra huius materie, dicamus honorandos & imitandos. Suffragia autem Sanctorum non negamus, quibus pro capacitate suffragantur hominibus, in Ecclesia militante, nec ea asserimus à Deo nullatenus postulanda, exemplo Dauid, qui, ut canit Ecclesia, orabat Deum dicens: Participem me fac Deus omnium ti-

mentium te & custodientium mandata tua, & Deū
 spiritualiter dicimus inuocandum, ut orationes san-
 ctorum inter nos suscitet, quibus sancti hic existen-
 tes orabant Deum, iuxta illud Eccl. 36. Suscita pre-
 cationes quas locuti sunt in nomine tuo Propheta pri-
 ores. Scimus. n. quod sancti, qui sunt in Ecclesia triū-
 phante affectum habent bonū ad nos, in quantum no-
 bis unum cum ipsis existentibus, nos sine illis & ipsi
 sine nobis, consumatam non consequuntur beatitu-
 dinē, cum ipsi usq; ad ultimam resurrectionem non
 habeant ex parte illa cōsummatam beatitudinē, cum
 careant corporibus suis, quibus habitis gloria in eis
 erit consummata, nec etiam ea parte illa adhuc habent
 consummatam gloriam, quando nōdum omnes sunt
 simul, qui saluandi sunt, unū enim corpus est, quod
 iustificari expectatur & quod resurgere dicitur in
 iudicio. Licet enim sunt multa membra, unum ta-
 men corpus, quibus illuc omnibus simul existentib.
 cuilibet exaugebitur letitia, quando quilibet leti-
 tiæ & meriti alterius particeps fiat, ut compleatur,
 quod ueritas dicit, Ioh. 4. Videte regiones, quia al-
 bæ iam sunt ad messem, & qui metit, mercedem ac-
 cipit, & qui congregat fructum in uitam æternam,
 ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit, istius
 confirmationem & probationem, ulterius si quis
 uult habere, legat Origenem Omel. 7. super Leuit.
 ubi tractans illud Christi uerbum quò dicit: Amen
 dico uobis, quia non bibam de germine uitis hu-
 ius.

ius, donec illuc bibam uobis cum nouum in regno patris mei, Sententiat non solum de Sanctis, sed & de Christo capite, quia nondum consummatam habent beatitudinem, fundans in illo uerbo Apostoli ad Hebræos 11. Qui cum enumerasset omnes sanctos patres, qui per fidem iustificati sunt, addit post omnia etiam hoc, Sed iste, inquit, omnes testimonium habentes per fidem, nondum affecuti sunt repromissionem, Deo pro uobis aliud prouidente, ut ne sine nobis perfectionem consequantur. Quantum ergo hoc bonum sancti de corpore exuti desiderant, tantum bonum nobis affectant. Quod si eis aliquid spiritualiter de nobis aliquando reuelatum sit, hæc neque negamus neque affirmamus, Dei dispensationi committentes, penes hoc & de eorum suffragijs tenemus, quod pro capacitate & dispensatione hominum hic existentium ipsis possunt suffragari & suffragantur. Exempla enim eorum qui attenderet scriptaque inteligeret, ad bonum ei suffragarentur. Cogitans etiam de eorum felici statu, quem post presentes miseras adepti sunt, posset in bono tantum roborari & accendi, quod posset eum a ueritate & iusticia retrahere aut separare. De quibus suffragijs sanctorum Orig. Omel. 3. sup Iosue tractans illud Num. 12. Quomodo Moses hereditatem terræ distribuit trans Iordanem duabus summis tribub. pactum iniens cum illis, ut relictis mulieribus & infantibus suis in illa terra trans Iordanem, ipsi cum fratribus suis pugnarent, usque etiam ipsi hereditatem consequantur ita scribit.

Vide nisi laboranti hodie in agone uitæ huius, & habenti certamen aduersus inimicos, id est, contrarias potestates, quomodo in auxilium ueniunt illi, qui cum aduentu Domini nostri Iesu Christi in lege iustificati sunt. Vide, quomodo Esaias mihi auxilium præstat, cum me sermonibus suæ lectionis illuminat fide accinctum, & expeditum uenientem Ieremiam ad auxilium nostrum & uoluminis sui iaculis hostes acerrimos, cordis mei te tenebras effugantem. Accingitur & Daniel ad auxilium nostrum, cum nos de præsentia Christi & de regno, & de Antichristi futura fraude instruit & præmunit, Adest et Ezechiel, sacramenta nobis cœlestia in quadriformibus rotarum circulis signans, & rotam concludens & rotam ducit. Et Osee Biffenas prophæti agminis turmas, & procedunt omnes succincti lumbos in ueritate, quam prædicant ad auxilium fratrum suorum, ut eorum uoluminibus instructi, diabolicas non ignoremus astutias. Hæc ille. Ista sunt suffragia sanctorum certa, quæ nos non negamus, pro quibus non tantum magistri sollicitantur, nec tantum ad illa populum hortantur, quantum ad suffragia eorum incerta & de nouo fabricata, quæ non possunt ueraciter doceri ex scriptura. Ideo in quantum eam partem, ex qua non transit nobis ad illos suffragium. ibidem Origenes subdit: Infantes autem & mulieres non exeunt ad prælium nostrum, nec mirum, Infans enim dicitur, qui non loquitur. Quid ergo iu-
uare

uare me potuit, qui nihil locutus est, cuius nihil inuenio quod legam, cuius sermo me non instruit. Mulieres uero dicit Apostolus infirmum uas esse, uide & cōsequenter. Infirmum uas ad conflictum non uenit, ne confringatur & pereat. Sic namq; de Domino Iesu Christo in Euangelio dicitur: Quia calamus quassatus non confringet. Quia ergo mulieres à uiris suis domi doceri iubeantur, & magis in discipulorum, quàm docentium persona ponuntur ad auxilium meum nō uenit, qui me docere non potest, & eius nihil inuenio, quod imitari debeam uel tenere. Hæc ille. Ex cuius uerbis patet, quàm infundabiliter Magistri cum multis, qui in Canone ponuntur, participium se habere petunt, & eorum postulant suffragium. De quorum beatitudine certificari non possumus ex scriptura, & quorum nihil inuenimus, quod legimus aut imitari debeamus.

DISCVSSIO ET EXAMINATIO
 scriptorum M. Ioannis Rokenzanæ, qui
 nomine suo & aliorum sibi adhaerentium, contra nos comportauit, & ad ipsa nostra responso.

Hic incipit secunda Pars.

CAPVT XXIII.

H 5

Premissa

Premissa Catholica declaratione cause nostre,
 & eiusdem legi Dei & sanctorum Doctorum
 sententijs se in eadem ueraciter fundantium
 munitione, iam ad secundum principale manus mit-
 timus, in quo iuxta premissa in principio restat no-
 bis aggredi scriptum Magistri Ioannis Rokenzane,
 & sibi adherentium, que contra nostram Catholi-
 cam positionem explanationemq; cause nostre spif-
 se uidentur multiplicare culpis, cum hoc nobis per
 eum obiectis satisfaciendes & ad ipsas responden-
 tes. Qui autem summarie prefatus M. Ioannes in
 toto suo scripto tria puncta moneat, primo enim
 culpas tunc coram toto auditorio nobis obiectas re-
 plicat. Secundo, cum quamlibet earum probare de-
 beat, & lege Domini, sanctorumq; Doctorum sen-
 tentijs se in eadem ueraciter fundantium ostendere,
 quod in omni eo, de quo nos reprehendit. Ecce da-
 mus contra fidem & bonos mores antequam ritus,
 quos primi Christiani cum Apostolis ex doctrina
 Christi seruauerunt, hoc minime facit, sed leniter &
 ut ita dicamus taliter, qualiter punctis cause nostre
 respondeat & puncta sua que contra nos promouet
 fundare nititur, quasdam authoritates scripturarum
 sacrarum in unum inuoluerimus, satis dispendiosa
 prolixitate comportando putans, non tantum pru-
 denti utilitate, quantum tumultuose multitudinis
 uerbositate proficere, & undecunq; sibi succurren-
 do etiam ex impertinentibus adiunctis, fabulis quoque
 & somn-

& somnijs incertis fidem cupiens simplicibus adgi-
 gnere, credituram. Tertio deniq; in nos, quo adhuc
 innocentes, graues calumnias fulminat, blasphemias
 nobis imponit, ac nominibus prauis nos baptizat,
 truncationem, falsificationemq; authoritatum san-
 ctorum false & iniuste ascribendo. Fortassis ideo
 hoc agens, ut aliorum criminatione ipse iustus possit
 esse atq; aliorum maculis purus remanere. Sed cum
 opus praeipuum uirtutis sit, ueradicere & hos, qui
 uirtutem impugnant posse reuincere, & eorum la-
 tibula coram alijs patenter aperire, ideo ut ipsius ui-
 brantis dextrum brachium emarceat & obstruatur
 os in nos loquentis, iniurias pro honore Dei & suae
 Euangelic ueritatis praesupposita nostra in princi-
 pio nostri scripti praemissa protestatione Dei adiuti
 contra illum praesidio scripta eius, quibus uidetur
 contra nostra posita militare aggrediemur, iuxta
 ponentes eius scripta debitas responsiones annecte-
 mus, ex quibus inefficax labor eius poterit detegi,
 iniuriam quam nobis facit, aperire & ueritas puri-
 or in causa nostra contenta eliquacissimis sanctorum
 dictis amplius confirmari.

DE FVNDAMENTO, QVOD
 Rokenzana habet pro
 suis scriptis.

CAPVT XXIIII.

Primò

Primò conuenit examinare fundamentum M.
 loannis Rokenzane, super quo totius ipsius
 stat operis edificium, & consistit fundamen-
 tum, quod coram toto auditorio, loco & tempore,
 quo supra pro omnibus suis in post dicendis uel scri-
 bendis, sub modo suppositionis præmisit in senten-
 tia sic dicens: quòd Ecclesia sponsa Christi non so-
 lum regi debet autoritate sacre scripturæ, sed tra-
 ditione Ecclesiæ uniuersalis, & partialibus statutis
 prouincialibus fundans hoc in dicto Augustini lib. 1.
 de fide Christiana, quod ponitur in Cap. distinctione
 undecima. Catholica post hoc descendit ad quatuor
 Doctores principales, Hieronymum, Augustinum,
 Ambrosium, Gregorium, & ad alios, qui sunt præ-
 diti ingenio, exercitati studio, humiles iudicio, &
 immunes ab affectato uitio dicens: eos propius &
 attentius exponere & interpretari sacram scriptur-
 ram, præcipuè ubi in idem consentiunt quam mille
 alios modernos expositores & tractatores ambitio-
 ne sæculi, & ueneno Ecclesiæ ac simoniaca heresi
 infectos, quos dicit non solum modernis expositori-
 bus, sed & Romanis Pontificibus in sacrarum scri-
 pturarum expositionibus præponi probans ex illo,
 quod ponitur 20. distinct. Cap. Cardinales, suadens
 pro regula habendum & tenendum, quod ubi ali-
 quis Doctorum uidetur uariam sententiam, uel op-
 positam & aduersam ponere, quod in his, in quibus
 concordat cum primæuis Doctoribus sanctis anti-
 quisq;

quisq; consilijs generalibus legi Dei non obuijs, pra-
xiq; & obseruatione uniuersalis Ecclesie, magis
est sibi credendum, quam de opposito loquentibus
adiiciens, quod inter Synodos seu consilia, quae ma-
gnae sunt auctoritates, in Ecclesia huiusmodi regu-
la est seruanda, ut quotiescunq; in gestis consilio-
rum discors sententia inuenitur, illius consilij magis
teneatur sententia, cuius antiquior & potior extat
auctoritas, quae ponitur 50. distinct. sub authorita-
te Isidori ad Damasum Papam, Cap. Domino sancto,
capite in fine. Ex quibus potest quilibet intelligere,
quod principium & fundamentum sit omnium, quae
M. Ioannes Rockenzana contra nos promouet, &
ubi dum difficultas circa ueritatem occurrit, po-
nat ultimam resolutionem, quia indictis quatuor
Doctoribus in idem consentientibus & concilijs ge-
neralibus praedictis ad quos, & ad dicta consilia si
in fide orta fuerit dissensio ultimò dicit esse recur-
rendum.

FUNDAMENTVM, QVOD SACER-
dotes Taborienses pro sua causa, &
omnibus emergentijs
sibi capiunt.

CAPVT XXV.

NOS autem uia regia & certissima & secura
cupientes incedere, qua ambulantes nò con-
funduntur

funduntur in aeternum principium & fundamentum nostrae causae, & omnium per nos dicendorum uel scriptorum, ac ultimata omnium difficultatum circa ueritatem emergentium resolutionem ponimus legem Dei, praxin Christi & Apostolicam, Ecclesiae primitiuae Concilia Doctoresq; fundantes se ueraciter in eadem, scientes ex prima nostra suppositione Christum esse fundamentum totius sententiae, quae pertinet Christiano, cum sit primum principium per se notum, à quo fontaliter accipimus fidem nostram, & scientes ex secunda nostra suppositione legem ipsius esse solam sufficientem ad regimen Ecclesiae militantis, ultra quam homo non indiget pro sua uiuatione ad patriam addere aliquam nouam legem, quae in summo gradu debet esse auctoritatis, utilitatis, & reuerentiae, ut patet ex conditione sui legiferi. Defectus enim cuiuslibet legis redundat in conditorem, quod foret blasphemiam Doctori legis nostrae imponere, & hic quae dicuntur ex ipso capi oportet. Nam oportet fidelem credere Deum esse, & pro sua Ecclesia prouidere, iuxta illud ad Hebraeos ii. capite: Accedentem ad Deum oportet credere. Quia est, & inquiringibus se remunerator existit. Qui autem credit in Deum, credit, quod est summè potens, summè sapiens, & beneuolus, nec foret remunerator inquiringibus se, nisi prouideret suae Ecclesiae de lege, quae est maximè necessaria ad regendum. Quia
 si impera-

Imperatores & capitanei ciuitatum & commu-
 nitatum sibi constituunt leges, multò magis iste Im-
 perator uniuersitatis citatæ instituit legem naturæ,
 qua gubernatur uniuersitas citata. Et sic rex regum
 dedit regimen suæ Ecclesiæ, legem scripturæ uel
 mandatorum. Tertio idem abbas dedit puillo suo
 gregi, scilicet Apostolis, legem consiliorum, & sic
 cuilibet Hierarchie Ecclesiasticæ legem sufficien-
 tem aliter deficeret sponsæ suæ ex impotentia, ex
 ignorantia uel inuidia in maximè necessarijs in re-
 gimine, quod non est concedendum. Vltèrius de-
 scendendo oportet capere leniori fide, quoad de-
 monstrationem, sed aequè certa, quoad defensionem,
 quòd lex codicum Ecclesiæ uocata uulgariter
 scriptura, est lex, quam Deus dedit suæ Ecclesiæ. Et
 hoc oportet fideles capere ab experientia credendo
 quòd ille homo, qui conuersatus fuit cum duodecim
 Apostolis, scilicet Dominus Iesus Christus consum-
 mauit cursum uitæ præsentis secundum formam,
 qua Euangelium illud refert. Hoc autem oportet
 fidelem credere, cum oportet secundum uniuersa-
 lem notitiam Ecclesiæ, qua noscit, quod aliqua sit
 lex data à Deo, cognoscere qui sit ille aliter Magister
 Ecclesiæ, docens priorem conclusionem, & non de-
 scendens ad particularem, quæ foret principium
 proximum operandi, deficeret sponsæ suæ culpa-
 biliter in necessarijs, quod esse non potest. Ideò ne-
 cesse est fideles ad Euangelium Seruatoris nostri
 Iesu

Iesu Christi descendere, à quo capitur scripturæ uel legis Dei authoritas, sicut à capite deriuantur sensus & motus ad membra supposita. Et sic oportet corpus Ecclesiæ capere doctrinam à capite, & unum membrum ad aliud deriuare communicatiue. Et ista uidetur esse sententia Apostoli Roman. 10. Fides inquit ex auditu, Auditus autem per uerbum Christi. Nam tota fides quæ creditur seminata in matre Ecclesiæ, quo ad singula eius membra secundum incitamentum sensibile facta est per sonum partium Ecclesiæ prædicantium uerbum Christi, qui in monte & saepe alibi aperuit os suum uocaliter & fecit Spiritum sanctum in die Pentecostes sonare uehementer, sic quod sonus dispersus in omnem terram per membra Ecclesiæ est quasi materiale & originale in fide Ecclesiæ, & sensus est quasi formale, ex quibus aggregatur una Ecclesiæ sub natura rerum sperandarum, siue autem indiuiduator sono sine colore, uel quocumq; alio signo uisibili, manet semper una fides, unde irrationabile fuisset. Cùm Christus debuit dare legem scripturæ suæ Ecclesiæ, nisi ipsemet dictasset eam in cordibus scribarum humilium, excitans eos ad formam scribendi & ostendendi, quam ipse elegerat. Quam sciens Apostolus in summo gradu authoritatis, utilitatis, & reuerentiæ consistere 2. Timoth. 3. ipsam commendat dicens: Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad crudi-

ad erudiendum in iustitia ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Hoc autem non oportet sic credere de alijs, cum de alijs non sic debet capi in quantum uidelicet iste, uel ille sic asserit, est sic uerum, sed in quantum aliquis author secundarius scripturæ sic mouetur à Deo ad taliter promulgandum, est ipsa summè autentica, quoad Deum. Et per istud possunt tolli leges, quæ uidentur sonare, quòd omnes epistolæ Decretales sunt paræ authoritatis cum Euangelio. Hoc est uerum, si sit scriptura sacra per eas explicata, sed non, quia quicumq; Christianus hoc dicit, sed quia hoc Deus dicit, imò nec dicta Sanctorum scripturæ sunt tam autentica, quia illi hoc dixerunt, sed quia Deus instruxit eos sic dicere, & hoc est, quod Apostolus securius de authoritate Christi dicit: Licet nos uel Angelus aliud Euangelizauerit uobis, præterquam Euangelizamus, anathema sit, & subdit causam: Notum uobis facio fratres, Euangelium, quod Euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem. Neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Ex iam dictis sequitur, quòd dicta sanctorum Doctorum post Apostolos non sunt acceptanda ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum, quamuis sententiæ eorum sunt suscipiendæ & admittendæ, de quanto CHRISTVS in ipsis loquitur, & de quanto uerè & directè fundari poterunt in lege expressa Domini nostri Iesu Christi, ut

sti, ut nostra quarta in principio huius scripti canit
 suppositio, & hæc est communis sanctorum Docto-
 rum sententia. Hinc est quòd sciens hoc B. Augustin-
 quòd scripturis Canonicis tractatorum literæ de-
 seruiunt in prologo libri 3. de Trinitate, & ponitur
 dist. 9. Noli. (ita scribit) Noli meis literis quasi Ca-
 nonicis scripturis deseruire, sed in illis, & quod non
 credebas, inueneris incunctanter crede. In istis autè
 quod certum non habueris, nisi certum intellexeris,
 noli firmè tenere. Hæc ille.

Et idem ad Hieronymum epist. 8. eadem distinct.
 Ego solus, (ita scribit) Ego solis eis libris scriptorū,
 qui iam Canonici appellantur didici hunc timorem,
 honoremq; referre, ut nullum eorum scribendo er-
 rasse audeam scribere, credere, aut si aliud in eis of-
 fendero, quod contrarium uideatur ueritati nihil
 aliud existimo, quàm uel mendosum esse codicem,
 uel non esse affecutum interpretem, quod dictū est,
 uel me minimè intellexisse nō ambigam. Alios autem
 ita lego, ut quantalibet sanctitate, quantauè doctri-
 na palleant, non iam uerum putem, quia ipsi ita sen-
 serunt. Sed quia ita mihi per alios authores, uel ca-
 nonicas, uel probabiles rationes, quod à uero nō ab-
 horreat, persuadere potuerunt. Hæc ille.

Et pro eodem est idem Augustinus ad Vincenti-
 um in eadem distinct. Noli frater. Et de unico Ba-
 ptismo lib. 2. eadem distinct. Quis nesciat. Et idem in
 libro de uidendo Deum, scribit: Nec mihi sic credas,
 quemad-

quemadmodum Ambrosio, De cuius libris tanta illa testimonia posui, aut si nobis ambobus æqua lance putas esse credendum, nullo nos Euangelio comparabis, aut scripta nostra scripturis canonicis coequabis, profectò si rectè in iudicando sapis longè nos infra uides ab illa authoritate distare, & me quidem longius, si utriq; nostrum quantumlibet credas, utrosq; illi excellentiæ cõpares nequaquam. Hæc ille.

Pro illo est & Hieronym. in Psal. 68. super uerbis: Qui fuerunt in ea. Nõ qui sunt ut exceptis Apostolis, quodcunq; post aliud dicitur, abscondatur nõ habeat post authoritatem. Quamuis ergò sanctus fit aliquis uel disertus post Apostolos nõ habeat authoritatem. Hæc ille.

Ad idem est & Orige. Omelia s. super Leuitico tractans illud, quod præceptum est, ut sacrificium qua die offertur, edatur, & altera die. Sed quod superferit de carnibus sacrificij, usq; in diem tertium, ut non edatur, sed igne cremetur, ita scribit: Ego prout sensus mei capacitus habet, in hoc biduo prout duo testamenta posse intelligi, in quibus liceat omne uerbum quod ad Deum pertinet. Hoc est enim sacrificium requiri & discuti, atq; ex ipsis omnem rerum scientiam capi. Si quid aut superferit, quod non diuina scriptura decernat, nullam aliam tertiam scripturam debere authoritatem scientiæ suscipi. Quia hæc dies tertia nominatur, sed igni tradamus quod superest, id est, DEO seruemus.

Neg; enim in presenti uita Deus nos scire omnia uoluit, maxime cum & illud Apostolus dicat: Quia ex parte scimus & ex parte prophetamus, cum autem uenerit, quod perfectum est, destruuntur illa, quae ex parte sunt. Istic est ergo ignis, cui, quae in tertium diem supersuerunt, seruare debemus, & non temeritate praesumpta assumamus nobis cunctorum scientiam, ne ut merito nobis dicatur ab eodem Apostolo, nescientes neq; quae loquuntur, neq; de quibus affirmant. Ne forte ergo non fiat acceptum sacrificium nostrum hoc ipsum quod ex diuinis scripturis cupimus scientiam capere & uertatur nobis in peccatum. Seruamus eas mensuras, quas nobis per legislatorem lex spiritualis enunciat. Hec ille.

Et idem pro eodem Omel. prima in Hier. scribit, nihil ut uerbis meis credatur exposco, nisi testes idoneos de Deo. Necessse est nobis scripturas sanctas in testimonium uocare. Sensus quippe nostri & enarrationes sine his testibus non habent fidem, & melius illud quod dictum est: in ore duorum uel trium testium stat omne uerbum, magis pertinet ad interpretantis probationem, quam ad quorumcunq; hominum numerum & firmum uerbum intellectus mei, accipiens duos testes. de nouo & ueteri Testamento, accipiens tres testes de Euangelio, de Propheta, de Apostolo, sic enim stabit omne uerbum. Hec ille.

Ex omnibus istis authoritatibus Doctorum sequitur,

quitur, quòd scriptura sacra est fidei regula, ex qua bene intellecta omnis probatio efficax capi debet, & ad quem omnis controuersia in fide, uel moribus finaliter resolui debet, tanquam in primum & uniuersalissimū doctrinae & scientiae fidei principium, praeterquam nulla alia scriptura ad auctoritatem debet suscipi, nec contra illam admittenda est auctoritas, uel hominis cuiuscunq;, uel constitutio, nec consuetudo, nec obseruatio ualet. Et quia uita practica IESV CHRISTI & suorum Apostolorum, aliorumq; sequacium suorum in lege Canonizatorum propinquissimè, uerissimè, securissimè, & potentissimè exponit & interpretatur, quantum sufficit ad humani generis salutem. Primae partes patent ex auctoritatibus antedictis. Ultima autem pars patet ex hoc, quia opera Christi praesertim miraculosa euidentissimè probant & exponunt fidem tam ueteris, quam nouae legis, propter quod dixit, Ioannis decimo capite, Saluator: Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. Et infra: Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere, si autem facio, & si mihi non uultis credere, operibus credite. Et pro illo est Augustin. de doctrina Christiana Libro quarto: Quantacunq; granditate dictionis maius est pondus uitae docentis. Et Doctor Nicolaus de Lyra in moralibus: Plus probant facta quam uerba. Et Seneca epistola 20. ad Lucillum

dicit : Verba rebus probanda potius, quàm res uerbis, cuius rationem euidentem assignans Doctor Evangelicus in libro sui Pastoralis, capite 19. scribit dilucidè, quòd uita Pastoris mouet & afficit efficacius quàm nuda & simplex prædicatio per sermonem. Quod inquit, declarat Anselmus ista similitudine factis apta & conuenienti : Egrotus quærens à Medico diligenter, quæ herba est contra talem morbum salubrior, Medicus autem notus laborare eodè morbo commendat uerbaliter dictam herbam. Sed dimittens eam in ore accipere, assumit statim & auide quidem aliam herbam comedendo, num quid credimus infirmum & aduersa conflitantem ualitudine istius Medici plus moueri opere quàm sermone, statim. quidem concludens ipsum agere uirtutis talis herbe, ut ipsemet egrotus eguit assentiens, quia non foret immemor salutis propriæ, credit plus suo operi quàm sermoni.

FVNDAMENTVM MAGISTRI
Ioannis Rokenzanæ, quod
ponit suorum scripto-
rum est insuf-
ficiens.

FX iam dictis colligitur, quòd fundamentum Magistri Ioannis Rokenzanæ, si incendit auctoritatiuas probationes, debere fieri per Doctores & Concilia prædicta, & omnium difficultatum circa ueritatem fidei emergentium, debere fieri ultimam resolutionem, in eisdem uidetur esse insufficiens, cum post concilium increatum, & concilium quod Christus cum Apostolis suis celebrauit, quando conuocando discipulos suos, & exponendo eis fidem, dedit eis priuilegia & multiplices potestates, fateamur quatuor Apostolorum concilia tenere principatū, qui in suis nullo modo errauerunt decretis. De concilijs autem post dotationem Ecclesiæ celebratis non uidetur nobis, quòd pari illis qualitate incedant, cum ex decretis & chronicis nonnullis expertis appareat generalia concilia statuiffe aut decreuiffe, nonnulla quæ in lege Dei non sunt fundata, imò ut ibi inuenitur, nonnunquam unum concilium præcedentis concilij sententiam retractauit, aut certè ipsi in decernendo contradixit, unde euidenter constat concilia errauiffe. Nam inter duos mutuò contradicentes necesse est alterum dicere & asserere falsum, & sic errare, in cuius signum Isidorus in libro Conciliorum scribit, quomodo Patres finito concilio debent orare, ut **DEVS** eorum ignorantia parcat, & errori indulgeat, si fortè eos ignorantia traxerit in errorem,

aut præceptis forsan uoluntas impulerit iustitiam declinare, ut si quid offensionis in hac celebritate concilij attraxerint, condonare et remissibile facere dignetur, quod non faceret, si concilia impossibile esset posse errare.

Doctores etiam aliquid scribunt conditionaliter, aliquid opinatiuè siue probabiliter, & aliud asserunt supra opinionem, tanquam fidem, & aliud contentiosè & reprobatiuè hæreticantes & condemnantes se, & aliquando contingit eos æquiuocare, ut nostra quarta in principio recitata, dicit suppositio. Et ergò argumentum nude captum à testimonio eorum non est sufficiens, quia omnes illi possunt decipi atque decipere, & sic contra Deum diffinire. Nam si non semper quæ per Prophetas dicuntur, quasi à Deo dicta suscipiuntur secundum Origenem Omel. 16. super numero probantem hoc primum de Iona, quomodo non inuenitur in sermonibus Dei, quibus ad Deum locutus est dictum, quia adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, sed Ionas sic dixit, quòd sermo iste, qui dictus & non factus ab Iona, potius quàm à Deo probatus esse uideretur.

Secundò hoc probatur de Gath, qualiter non inuenitur in tribus comminationibus, quibus comminabatur David Deum dixisse de morte trium dierum, in uerbis autem Gath positum est non in mandatis Domini.

Tertiò

Tertiò de Moyse hoc idem probat, qui libellum re-
 pudij propria autoritate mandauit, quòd Dominus
 in Euangelio euidenti distinctione secernit. Quar-
 tò probat hoc idem de Apostolo, qui dicit: Quibus-
 dam Dominus dicit & non ego, & de alijs. Hoc au-
 tem ego dico, non Dominus. Sic inquit & in cæteris
 Prophetis, aliqua quidem Dominus locutus est, &
 non Prophetæ, aliqua uerò Prophetæ & non Do-
 minus, & si insuper Prophetæ & uiri sancti, & ap-
 probati in suis dictis & factis semper securi & cer-
 ti non fuerant, qui quamuis Spiritu sancto erant
 inspirati, non quemlibet tamen nec in qualibet cau-
 sa Spiritus S. regebat eos, nec sic erat eis communis,
 ut semper eorum sequatur uoluntatem, & omnia
 quæ eis uidebantur, confirmet, sed quando & ad ali-
 quid instigebat eos, hoc in eis confirmabat uel uotis
 uel desiderijs eorum condescendebat, ut impleatur
 illud, quod Apostolus Petrus dixit, quod non uolun-
 tate humana aliquando illata est prophetia, sed Spi-
 ritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines,
 & ideò quæ ex animo affirmabant uno tempore me-
 lius, alio tempore melius persuasi, retractauerunt,
 ut patet de Prophetæ Nathan super Dauid, in ædifi-
 catione templi Domini, in Esaia super morte regis
 Ezechie. De beato Petro in correptione à Paulo su-
 per communicatione cum conuersis ex gentibus, &
 de beato Paulo in pluribus. Sic ergò hoc contigebat,
 Prophetis & uiris sanctis & approbatis in dictis
 suis &

suis & factis. Quanto magis hoc uerum de doctoribus quantumcunq; sint sancti, ut sæpe docet Augustinus uidelicet nona distin. in decreto. Hinc de B. Augustino legitur, quod in multis dicta sua retractauit, & exposuit aliter & melius declarauit, & per consequens insufficiens est dictum illorum, qui dicunt authoritatiuas probationes debere fieri per doctores & concilia, citra authores scripturæ, & omnium difficultatum, citra ueritatem emergentium ultimam fieri resolutionem, in eisdem etiam si sint antiquissimi. Cum & principalia concilia de quibus 15. dist. Non sunt tantæ autoritates, sicut concilia Apostolorum in scriptura canonica expressata, quibus licet contradicere in his, quæ tradiderunt aut sententiauerunt contra fidem, quorum unum est dotatio cleri per Constantinum facta, quæ in concilio Niceno autorizata est, & doctores principales in unum consentientes eam susceperunt & sic contradixerunt nostri 4. articuli praxi & approbationi. Quicquid tamen in dictis concilijs uel in alijs quibuscunq; aut dictis antiquis doctorum uel recentibus decretum uel statutum est, fuit uel erit, ritè & uerè fundabile in lege Domini suscipiendum & admittendum est, fatemur & his non contradicendum quoquo modo, in quorum confirmationem doctor Euangelicus in libro de Apostasia cap. 10. scribit, quod ad genus euidentiæ probabilis seu topicæ reducuntur argumēta topica, à testimonio humano, uideli-

videlicet in probationib. politicis & argumentis ca-
 ptis à testimonijs doctorum etiã quantumcunq; san-
 ctorum, citra authoritates scripturæ, ut sepe docet
 August. sicut patet 9. dist. unde argumētum nudè ca-
 ptum à testimonijs aliorum doctorum, & multò magis
 à testimonio Romanæ Ecclesiæ non sufficit per se
 à hereticare quicquã. Quia omnes illi possunt decipi
 atq; decipere, ac sic contra Deum diffinire, ac succes-
 sor catholicare, quod prædecessor hereticauit & e-
 contra. Ideò oportet recurrere ad fontem ueritatis,
 scripturam sacram & docere, quòd illa sententia he-
 retica sit sibi contraria, & postea fingere mores he-
 retici. Et in effectu. Hæc ille.

Et idè doctor in suo dialogo, docens præponde-
 rari ueritatem, consuetudini uel cuiusq; dicto do-
 ctorũ ita scribit: Cum aut ex fide omnes sancti circa
 Christũ ut ioan. cõfiteatur, multipliciter peccauerũt,
 patet, quod omnes citra Christũ habuerunt ualde an-
 tiquã consuetudinem ad peccandum, ideò si Christi
 autoritas est præstantior q̃ consuetudo eorum, quis
 fidelis non credit auctoritati Domini, consuetudine
 eorũ prætermiffa, cum ex fide capimus, quod nullus
 sanctorum, quantumcunq; sanctitate præpolleat, in
 dicto uel consuetudine est credendus, nisi de quanto
 illud consonat cũ Christo, q̃ est prima ueritas, & per
 cõsequens habita à Christo uiuaciori euidẽtia ad cre-
 dendũ cõtrariũ. Istud ẽ ex illa fortiori euidẽtia dimit-
 tendũ, infra ideò ad reprimendã præsumtionẽ supbã
 p.c

piè rogant, quòd non credatur eis in isto, Quia ipsi
 uel mendaces hoc asserunt, sed quia est lex Domini
 Iesu Christi, ut dicit Augustinus: Si Christum hic as-
 senserit, uè illi qui non credit, & ut aduocatio ista
 pro lege Christi sit clarior, homines promulgantes
 istam sententiam, non querunt lucrum humanum
 uel humanam amicitiam, sed contrarium patiuntur,
 & sic amor Dei & legis suæ cum honore sibi repe-
 dendo præponderari debet à fidelibus in hoc actus
 & Dominus modum discernendi inter fidem & o-
 pinionem subdit, & principium in isto puncto &
 alijs debet esse fidelibus, quòd discretè discernant in-
 ter fidem & opinionem sic, quòd nihil accipiunt
 tanquam fidem, nisi ex ueritate dictum fuerit. Ideò
 Canonizationes & quæcunq; operationes Papales
 uel assertiones Sanctorum dant opinionem illis, in
 quibus est euidencia citra fidem, ut fides est, quòd
 Petrus & Paulus cum cæteris Sanctis multipliciter
 peccauerunt, & opinio est, quòd posteriores Cano-
 nizzati à Romano Pontifice erunt sancti, licet ad san-
 ctitatem eorum quos sacra scriptura canonizat, nõ
 in proportione quæ Deo placet, attingant, & sic
 non est maior euidencia, si isti sancti canonizzati à
 Romana Ecclesia istam consuetudinem habuerunt,
 ergò non in hoc contra Christum & suam Ecclesi-
 am peccauerunt, quam sequuntur Petrus & Pau-
 lus contra Deum blasphemauerunt. Ergò non in
 hoc contra Christum aut suam Ecclesiam peccau-
 runt.

runt. Videmus ergò quid dicit ratio infallibilis, uel lex Dei, & illud tanquam fidem uel infallibilem in animum ponamus. Turpe quidem est, manere sententiam tanquam fidem in animo stabilire, & fidem fundatam in scriptura dimittere, & post ea docens ex autoritate scripturæ, quod nec generaliter multitudo testium semper sit approbanda uel sequenda, subinfert ad propositum regulam notabilem ita dicens: ideò prudentes habent consuetudinem hinc, quando difficultas circa ueritatem uentilauerit, in primis considerant, quid fides scripturæ loquitur in hoc puncto, & quicquid hæc fides in hac materia diffinierit, stabiliter credunt tanquam fidem. Si autem fides scripturæ neutram eius partem expresserit, dimittunt illud tanquam eis impertinens, & non litigant uel contendunt, quæ pars habeat ueritatem, & ista est magna prudentia sapientum, ideò inquit, est stulta euidencia, si maior pars sic asserit. Ergò uerum cum sit argumentum topicum, ad contrarium concludendum. Hæc ille.

Ex cuius doctoris eximij uerbis patet, quod non est sufficiens probatio contra authores scripturæ, à nudo consiliorum testimonio, qualitercunq; sint antiqua, nec à testimonio doctorum quantumcunq; sint sancti, multi uel pauci antiqui uel recentes, ut in quantum istud uel illud concilium, aut iste uel ille doctor asserit, sic sit uerum, sed in quantum sic mouentur à Deo ad taliter promulgandum, est summè
autem

autenticum quò ad Deum, & ista sunt omnia bene
 & diligenter à quolibet aduertenda, qui in proban-
 do aliquid falli, aut alios fallere uoluerint. Ex quo
 ulterius datur intelligi, quàm periculose quidam
 moderni loquuntur de doctoribus æquiparentes eos
 autoritatibus sacræ scripturæ, quando uolentes per
 sententiam ipsorum multas traditiones humanas, et
 multa, quæ carent autoritate sacræ scripturæ stabi-
 lire dicere solent. Hoc dicunt magni sancti pleno Spi-
 ritu sancto. Sic enim dicere, est quodammodo ipsos
 in dictis eorum æquare Deo, quia tantum ualet hoc
 de ipsis dicere, quasi diceretur, hoc dicit Dominus
 Deus, uelut Prophetæ dicebant, nec per hoc dictum
 aliud potest intelligi, Quia ubi est plenitudo Spiri-
 tus sancti, ibi in ueritate est uerbum Dei, sed discor-
 dantia doctorum ab inuicem in multis punctis, in
 quibus nedum quandoq; discordat unus ab alio, sed
 etiam sæpius unus discordat à seipso, quòd indubiè
 attestatur ipsos non habere, ut sic plenitudinem Spi-
 ritus sancti, nec semper debere ipsis credere aut sen-
 tentias ipsorum acceptare, nisi de quanto se funda-
 uerunt ueraciter in scriptura, prout sufficienter su-
 perius ostensum est.

Istis pro fundamento præmissis, iam accedamus
 ad materiam M. Ioannis Rokenzane, in qua primò
 culpas quasdam nobis obijcit, & deinde puncta, quæ
 ipse contra nos promouet probare nititur, quantò
 ad culpas, quamuis ad aliquas ex illis nobis non esset
 necessa-

necessarium respondere, cum cuilibet non partisan-
 ti & proteruire uolenti, qui uellet uerè & fideliter
 pensare dictam nostram causam in parte huius de-
 scriptam, pariter posset noster conceptus & plena
 nostra intentio per ea, quæ ibidem posita sunt intel-
 ligi, tamen ne uideamur subterfugia quærere, &
 culpas illas sub silentio pertransire uolumus, cum
 Dei adiutorio succinctè omnes locis suis per ordinè
 tangere, & quamlibet singillatim soluere, ut omni-
 bus & singulis innotescat, quod minus iustè & sine
 causa nos deturpant, non ualentes uerè in nos didu-
 cere, quòd aliquid in punctis his, in quibus ab eis dis-
 crepamus, contra fidem scripturæ pertinaciter te-
 neamus, aut quod contrarium foret fidei defendere
 uelimus, aut quomodolibet tueri. Sequitur respon-
 sio sacerdotum Taboriensium.

Responsio sacerdotum Taboriensium ad
 primam culpam ipsis per M. Ioannem
 Rokenzanam nomine suo cætero-
 rumque Magistrorum & sacerdo-
 tum Pragensium obiectam.

Quantum ergò ad culpam primam sub tali for-
 ma nobis propositum, Sacerdotes Taboritarum
 non practisantes in opere sacramenta aliquæ uel a-
 liquod, & quædam sacramentis adiacentia nos,
 quia illa practisamus, in hoc contemnunt, confun-
 dunt & pro malo reputant & ad hoc legem Domi-
 ni & scripturas sanctorum doctorum non habent,
 quos

quod hoc sit malum. in qua nos specialiter inculpant de duobus.

Primò, quòd non practisamus in opere sacramenta aliqua & quedam ipsis adiacentia, & quæ sint illa postea descendunt ad extremam unctiõnem & confirmatiõnem, & secundò, quòd ipsos pro eo quòd ipsa practizant, in hoc contemnimus & confundimus, & eis pro malo reputamus.

Ad primam partem istius culpæ nobis obiectæ respondemus, quòd sacramenta necessaria salutis hominum quântò fidelius possumus & scimus, practizamus, & practizando in autoritate, forma, sensu quoq; Christi. In fide ac ritu & praxi Ecclesiæ primitiue, quantum in nobis est, suademus. Nec est de intentione nostra, contemnere aliquam laudabilem alicuius sacramenti à Christo instituti sumptionem, aut sacramentum aliquod ex dictis in sui puritate & substantia, pro ut est à Christo institutum, quomodolibet paruipendere. Ritus etiam utiles & ueritatis promotiones circa talia non obmittimus, pro ut hoc notum est, cunctis fideliter considerantibus circa tales materias nostram operationem. Immo summopere optamus, ut omnes singuli in omnibus sacramentis tam quò ad substantialem, quàm quò ad ritum, conformemur nos Christo & Apostolis in his quæ circa eadem lege Domini continentur, & necessitas concernit fidei, aut requirit Pharisæicis ritibus legem Christi liberam stringentibus, diminuētibus, onerant-

onerantibus uel impediētib; postergatis. Qui
 autem uult specialius intentionem nostram cogno-
 scere, quam sentiamus specialiter, de uno quoq; sa-
 cramentorum ex fide scripturæ, & auctoritatibus
 doctorum sanctorum se in eadem fundantium, &
 ritibus ipsis sacramentis adiectis, potest in prima
 parte huius sufficienter edoceri. Vbi autem speciali-
 ter nos inculpant, quod sacramentum extremæ un-
 ctionis in sensu & forma non usitatè, erga infirmos
 ad intentionem eorum, cum eis non practizemus.
 Ad hoc taliter respondemus: Quod carentes de hac
 unctiōe expressa scriptura legis, ac sententia san-
 ctorum doctorum ueraciter se fundantium, in ea-
 dem & notantes plures circa eandem currentes si-
 perstitutiones, non uidentesq; quod alicubi Christus
 uel eius Apostoli sacramentum nominassent, uel
 eius debitam executionem promulgassent, scientes
 quod Dominus uoluit & uult, multos saluare sine
 susceptione huius unctiōis, non audemus eam pro
 articulo fidei practizare, & confiteri, aut ad ean-
 dem exposcendam, exhortari tanquam ad Sacra-
 mentum, ut fit à Christo uel eius Apostolis institu-
 tum. Licet unctiōem infirmorum ad intentionem,
 finem & effectum Apostolorum intentum, & ritum
 eorum & uirtute factam, de qua beatus Marcus et
 Iacobus facit mentionem, licitam esse confiteamur,
 & si qui Sacerdotes gratiam curationum habentes,
 sic unxerant infirmos, & benè habuerunt, uellemus
 hortari

hortari omnes, & cum in grauem infirmitatem inciderint, illud sacramentum ab eis suscipere non obmittant, aut quouis modo contemnant, quia contemptores illius aut aliorum sacramentorum, in quantum sunt à Christo instituta, sunt castigandi & iuxta Euangelicæ legis regulas corrigendi. Cum fateamur, ut in prima parte dictum est, quod tempore Christi & Apostolorum pro necessitate & corporum alleuatione in signum charitatis & pietatis ungebantur non tantum infirmi, sed & sani corpore, & non solum ab Apostolis, uerum & ab alijs quibusuis indifferenter fidelibus. Ad hoc autem de quo in eadem prima culpa.

Secundò nos inculpant, uidelicet quòd nos ipsos pro eo quod ipsi aliqua Sacramenta uel aliquod & quidam ipsis adiacentia practicant. In hoc contemnimus, cõfundimus, & pro malo reputamus, taliter respondemus, quòd bene & rationabiliter facimus, immò hoc facere tenemur, cum digni sunt reprehensione pro eo quòd oleum extreme unctionis & chrisma confirmationis, ut communiter à Simoniacis & Simoniacè promotis, benedicta pro Sacramentis promouent, id est, execratum, uocantes Sacramentum, propter quorum prætersam talium benedictionem, uolunt ut illa pro fide teneantur & promoueantur in sensu, ritu & forma non usitata, tanquam Sacramenta, ut sic à Christo & eius Apostolis instituta, & ad remissionem peccati, quæ fit per unctio-

unctionem talem, ut inquiunt, ordinata. Parentes ad hoc uera probatione, quod unquam uel Christus uel eius Apostolice unctionem sacramentum non minassent, aut eius debitam executionem aliqui promulgassent. Cum ergo illud, quod non uidetur ex fide scripturæ esse, pro fide promoueat, merito à quolibet est reprehendendum, cum secundum B. Ambrosium noua omnia, quæ Christus non docuit iure damnantur. Quia fidelibus uia est Christus, & Apostolus dicit: Non enim audeo aliquid loqui coram, quæ per se non efficit Christus, & Hieron. lib. 4. contra Ruff. scribit: Nolo sapientiam, quam Petrus uel Paulus non docuit, nolo ueritatem, quam Apostoli non probauerunt. Cum ergo hæc unctio uideatur non probauerunt. Cum ergo hæc unctio uideatur non probauerunt. Cum ergo hæc unctio uideatur noua esse, à Christo non procedens, uel eius Apostolis, non audemus eam tanquam articulum fidei promouere, & non solum reprehendimus eos de promotione & practizatione talium doctorum sacramentorum, sed etiam ex eo, quod sacramentum ordinis suscipiunt ab Episcopo proteso Simoniaci & Simoniacè promoti, qui ex operibus prioribus indignus & ineptus est, quo ad huiusmodi dignitatem, iuxta dictamen iuris diuini & humani, cum causam sanguinis agit, & ut uerisimiliter aestimatur, ad mortem plurimos sententiauit nigromantiam, ut dicitur, exercuit, Symoniacè Episcopatum adeptus est, condemnationi calicis Domini consentit pro praxi eiusdem, quàm plurimos puniens,

contributum à clero recipiens, & testes subordinans
 condemnationem magistrorum Ioan. Huß & Hie-
 rony. procurauit, Regem Vngariæ contra modum
 solitum huius regni coronauit, & quòd amplius
 est nostri linguagij, ut uulgus loquitur. quia teutoni-
 cus naturalis extitit inimicus, de quibus proh dolor
 ut timetur poenitentiam dignam non peregit, ubi
 aliter possent secundum legem Dei, & morem Ec-
 clesie primitiue de ordinandis sacerdotibus prouide-
 re in casu, quo deficerent & carerent, Episcopo
 catholico legitime ordinante, si autem sciuerit aut
 poterit M. lo. Rokenzana, uerè docere ex scriptura
 expressa legis ac sententia doctorum se ueraciter
 fundantium in eadem, quod illa prædicta sacramen-
 ta sic & sub tali forma præscripta pro fidei articu-
 lis debeamus promouere, tanquam sacramenta, ut
 sic à Christo uel eius Apostolis instituta, & quòd
 non liceret eis aliter secundum legem Dei, & mo-
 rem Ecclesie primitiue sibi de ordinandis prouide-
 re sacerdotibus ex debitis & certis circumstantijs,
 in casu quo deficerent, in Episcopo Catholico legi-
 time ordinante, aut quòd aliter secundum legem
 Dei non liceret, nisi ab Episcopo uel Episcopis sacra-
 mentum ordinis conferri, etiam si sint Symoniaci &
 Symoniacè promoti, & aliàs indigni & inepti ad
 huiusmodi dignitatem, intelligendo Episcopum plus
 sacramentalis authoritatis essentialis habere, ultra
 alios ueros & simplices sacerdotes, & si hæc omnia
 sciuerit

sciuerit aut poterit modo præscripto deducere, quare his stare & acquiescere recusamus?

NON BENE FVNDAT M. IOANNES
Rokenzana, Sacramentum extre-
mæ vnctionis in sensu & for-
ma modò vsitata in scri-
ptura.

CAPVT XXVIII

QVando autem M. Ioannes Rokenzana fundare nititur, Sacramentum extremæ uncti-
onis in sensu & forma modò vsitata in illo
Marci 6 & Iacobi 5. ubi fit mentio de uncti-
onem infirmorum adducens, pro illo plures authoritates san-
ctorum doctorum. Ad hoc taliter respondemus, quod
qui uult fideliter pensare dicta loca scripturæ, repe-
riet, quod illa non sunt pro sensu & forma sacra-
menti extremæ uncti-
onis modò vsitatae, sed sunt pro
uncti-
one infirmorum alia, quæ Apostoli erga infirmos
utiliter & fructuosè exercuerunt. Hinc ad hoc M.
Ioannes Rokenzana in ualida scriptura respondet
pro nobis & nos cum illo, Doctor Euangelicus in
suo dialogo, tractans de hoc sacramento in prima
parte huius, circa eandem materiam per nos addu-
ctos, ita scribens: quòd ista uidetur nimis leuis in uer-
bis prædictis Iacobi Apostoli fundatio sacramenti,
cum

cum dici potest satis probabiliter, quod iste beatus
 Apostolus non specificat infirmitatem finalem, sed
 consolationem fiendam à Presbytero, dum aliquis in-
 firmatur. Et quia per uiam naturæ oleum abundans
 in illis partibus, ualet ad corporis sanitatem, ideo
 talem meminit unctiorem, non quòd illud oleum a-
 gat in animam, sed quòd oratio effusa à Sacerdote
 deuoto mediat, quandoq; ut Deus infirmanti animæ
 suffragetur. Quia si ista corporalis unctio foret Sa-
 cramentum, ut modò fingitur, Christus & cæteri A-
 postoli eius promulgationem & debitam executio-
 nem non tacerent. Hæc ille.

Ex cuius uerbis patet, quod nimis leuis uidetur
 fundatio huius Sacramenti in uerbis prædictis Iaco-
 bi Apostoli, & quòd talis unctio corporalis fingi-
 tur esse Sacramentum, & quòd nullibi Christus nec
 eius Apostoli huiusmodi unctiorem in sensu & for-
 ma modò usitata, quam communiter uocant ulti-
 mum Sacramentum, non autem ad unctiorem in-
 firmorum in quantum uidelicet à Christo in sui sub-
 stantia & puritate est instituta aut exemplata, quâ
 quò ad hoc fundatam in dicto illo B. Iacobi, ut cum
 in aliquot locis adducit Iacobus Rokenzana, ad
 quem autem finem fiebat illa unctio, de qua beatus
 Iacobus facit mentionem, hoc etiam idem Doctor
 ibidem exprimit satis planè, & eodem modo intelli-
 gendi sunt & alij doctores, quos ibidem adducit Ro-
 kenzana, quòd loquentes de unctiione infirmorum,

& ipsam fundantes Iacobi quinto capite, loquuntur de ea, in quantum Christus uidelicet in sui substantia & puritate est instituta & exemplata, non autem quò ad sensum & formam modò usitatam, Quia quantum ad hoc Thomas tertia parte summæ suæ de institutione huius Sacramenti loquens, refert de quibusdam, quòd aliqui dixerunt, quòd nec Christus, nec Apostoli ipsum instituerunt, sed quòd in successu temporis in uno Concilio est institutum, ut in prima parte huius relatum est. Vbi autem Doctores, quos M. Ioannes Rokenzana adducit in suis scriptis, faciunt mentionem de Oleo à Presbyteris uel à Pontificibus benedicto, loquuntur secundum exigentiam temporis, quando iam mos benedicendi Oleum inoleuit, non intelligentes, quòd illa benedictio Olei sit de necessitate dictæ unctionis, sed de institutione Ecclesiæ, ut in prima parte huius ostensum est. Vbi autem Magister Ioannes Rokenzana, authoritate domini Archidiaconi gloriatur, ipsum sæpius coram congregatione generali adducendo, qui in libro nono de questionibus Armeno-rensibus, tangens in casu necessitatem Sacramentalis, in dicto Iacobi exemplati, inter cætera sic scribit: Potest esse casus, in quo dato hoc Sacramento, saluatur infirmus, qui aliàs damnaretur. Hoc sæpius allegans M. Ioannes Rokenzana, non exprimit circa hoc casum quem ipse ponit. Casus enim eius est iste. Quoniam, ipse inquit, credendum est,

multos saluari per orationes aliorum, & uigore sacramentorum Ecclesie, qui aliter nullatenus saluarentur, & hoc per plures scripturas probat, primo ex illo Iacobi, quod immediatè subiungitur: orate pro inuicem ut saluemini, & per illud, quod Elias totum populum, unica sui oratione subtrahendo pluuiam, puniuit, & iterum populum ne periret, liberauit, oratione facta pluuiam impetrando, & per illud Ioannes in Canonica: Si quis scit fratrem suum peccantem, non ad mortem pro eo petat & dabitur ei uita. Et per illud Christi dictum, qui dicit: Facite uobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, &c. ubi inquit manifestè, ostendit aliquos deficere & sibi non sufficere ex proprijs, qui tamen benefaciendo pauperibus suis, eorum possunt saluari suffragijs, illum casum Archidiaconus denotans dicit, potest esse casus in quo dato hoc sacramento, saluatur infirmus, qui aliàs damnaretur, quod nec nos negamus, ubi non oleo nec uncti-
 oni hoc principaliter attribuit, sed orationi deuotè, cum illa unctio corporalis non agat in animam, nec ita stolidè quis debet capere uerba domini Archidiaconi, ut credat ipsum intelligere, quod sine uncti-
 one corporali quilibet damnaretur infirmus, qui data illa saluaretur. Quia certum est de prædestinato quolibet, quod saluabitur, etiam nunquam suscipiens huiusmodi unctionem, & hoc est, quod Doctor Euangelicus suprâ quamuis præmittat, quod leuis
 uidetur

uidetur fundatio Sacramenti extremæ unctionis, modò scilicet usitate, in dicto Iacob. Apostoli: Et quod si illa corporalis unctio foret Sacramentum, ut modò fingitur, Christus & eius Apostoli promulgationem & executionem debitam non tacerent, tamen postea ad intentionem D. Archidiaconi subdit: Concedo tamen tibi, quod ista corporalis unctio est aliquibus cæteris paribus Sacramentū, sed oportet tunc quòd Presbyteri mereantur suis deuotis orationibus infirmatis, non quòd illud oleum agat in animam, sed oratio effusa à Sacerdote deuoto mediat quandoq; ut Deus infirmanti animæ suffragetur, & subdit: Caue tamen, ne nimis leuiter uerba Apostoli sic intelligas. Potes enim ad tantum errare, ut credas, quod eo ipso, quo Sacerdos orauit pro infirmo, si aliquod peccatum habuerit, remittetur ei, cum tamen multi infirmantur sæpius, & sæpe anguntur, qui ad damnationem perpetuam sunt præsciti. Nec est credendum, quòd in quantum Presbyter sic facit oratio suæ fidei saluabit infirmum, cum tunc foret fides Ecclesiæ, Quod quicumq; in extremis illud receperit Sacramentum, ex fide Christi saluabitur, & tunc foret necessitatissimum inter omnia Sacramenta, cum recipiens alia potest decidere finaliter impœnitens & damnandus, & sic potest istud indubiè recipiens Sacramentum, ideò debet subintelligi, quòd si Sacerdos, quem Deus ad saluationem infirmi sic ordinauit, confirmiter ad istam

ordinationem Dei orauit, tunc saluabitur taliter infirmatus. Non est enim fides, sed in casu spes, quod iste Sacerdos saluabitur. Quomodo ergo foret Presbytero fides, quod iste infirmus saluabitur, & specialiter, cum Sacerdos regulariter caret reuelatione de saluatione infirmi, & modicum infra subdit: unde mihi uidetur, singulos qui instituunt tales priuatos ordines, & generaliter dant regulas, ut talia Sacramenta utiliter à subditis sint accepta, in Deum blasphemare, specialiter cum Deus uult saluare multos sine acceptione huiusmodi Sacramenti. Hæc ille per totum.

Ex cuius uerbis planè patet, quomodo debeat dictum D. Archidiaconi sanè intelligi, & nõ ad intentionem Rokenzanæ, qui infundabiliter & temerariè audet publicè docere, quod de lege communi non potest sine isto prædicto Sacramento extreme unctionis modo usitato infirmus saluari. Non ergò amplius gloriatur Rokenzana cum prædicto dicto D. Archidiaconi, quo dicit: Potest esse casus, in quo dato hoc Sacramento saluatur infirmus, qui aliàs damnaretur, cum posset esse casus non unus sed multi, in quibus dato hoc Sacramento damnaretur infirmus, qui aliàs saluaretur.

VACVVS LABOR
Rokenzanæ.

CAPVT XXIX.

Ex istis

EX istis patere potest cuilibet, quod M. lo-
 an. Rokenzana nihil per suum grauem laby-
 rinthum facit pro extrema unctione infir-
 morum, ad sensum & formam modò usitatam, nec
 scripta sua quæ pro illo multiplicat debent regula-
 riter capi pro illa, sed pro unctione infirmorum, &
 ad intentionem finem, & effectum per Apostol. me-
 moratum facta, cum secundum Doctorem Euange-
 licum superius allegatum, iste sanctus Apostolus Ia-
 cobus non specificat ibi infirmitatem finalem, sed
 consolationem fiendam à Presbytero, dum aliquis
 infirmatur modò superius per eundem expresso, nec
 illud Sacramentum extremæ unctionis Rokenzanæ
 uerè fundatur in illo dicto Apostoli Iacobi sæpè di-
 cto, nec per illa uerba Apostoli confirmari potest in
 sensu communiter usitato. Quod dictum quamuis
 propter antiquam de opposito consuetudinem dif-
 ficilem habeat exemplationem, paucis tamen occa-
 siones intelligentiæ legentibus damus, quo & ipsi
 faciant, quod scriptum est, ut his auditis: Sapiens sa-
 pientior fiat, & da occasionem sapienti & sapien-
 tior erit.

Primò ergò uidendum erit, quid illud Sacramen-
 tum extremæ unctionis modò usitatum contineat, et
 ex quibus integretur, & ad quæ sensum promouea-
 tur, & secundò uidebitur, si illa secerūt ex fide scri-
 pturæ uel uerbis prædictis Apost. confirmari, quan-
 tū ad primum notū est secundum cōmunem senten-
 tiam

tiam modernorum. quod ad Sacramentum prædictum ista requiruntur.

Primum oleum oliuæ ab Episcopo benedictum, sub tali forma, ut Episcopus per benedictionem suam demonia & phantasmata de oleo eiciens in eo Spiritui sancto habitaculum præparet, & uirtutem sibi tribuat remittendi peccata, multiplicandi gratias spirituales & consimilibus infirmitates sanandi. Sic enim in Pontificali scribitur: Episcopus hoc oleum benedicens fabulatur, exorcizote immunde spiritus, omnisq; incurso Sathane, & omne phantasma, in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit in eo Spiritus sanctus habitare. Et hoc unguentum compositionis pro liniendis corporibus infirmis, continuo peragraturus uisceribus eorum omnem euomat uolentiam fellis, proffit febribus & dysenteria laborantibus, proffit paralyticis, cæcis, claudis, simulq; ex uexatitijs quartana, tertiana & quotidiana, excutiat frigora, mutorū ora resoluat, arentia membra reficiat, dementia mentis ad scientiam reuocet, dolorem capitis aliorumq; infirmitatem, manuum, pedum, brachiorū, pectorum, simulq; & intestinorum atque omnium membrorum, tam intrinsecus, quàm extrinsecus, & medullarum dolorem expellat, somnum quietis infundat, & salutem conferat sanitatis.

Si qua uerò maligna, uenenosa, nascentia in corporibus, quorumcunq; fuerit generata, tactu huius unguenti

unguenti omnes radicitus eorum arefaciat sationes,
 morsus uerò bestiarum, canum rabiem, scorpionū,
 serpentum, uiperarum atq; omnium monstruosorū
 leniat dolores, impetum quoque demonum uel in-
 cursiones spirituum immundorum atq; legionum,
 malignantiumq; uexationes, umbras, & impugna-
 tiones & infestationes. Hæc ibi.

Ex quo ostenditur, quod Episcopus dicit per su-
 am benedictionē oleo hæc omnia repellendi. Quod
 autem dicant ipsum oleū habere uirtutem & pec-
 cata remittendi. Hæc M. Ioannes Rokenzana in suo
 tractatu, de hoc loquens Sacramento, innuit sic scri-
 bens: Hoc Sacramentum ad duo exigitur, scilicet ad
 remissionem peccati, quæ fit per unctionem & alle-
 uationem infirmi, quæ impetratur per orationem.
 Hæc ille.

Hoc est primum quòd secundum communiter lo-
 quentes ad hoc requiritur Sacramentum, secundò
 ad hoc Sacramentū requiritur, ut non in omni parte
 corporis fiat talis unctio, sed determinatis partibus,
 uidelicet, organis quinq; sensuum applicetur. Et
 tertio, ut non quibuscunq; infirmis, sed de proximo
 morituris ministretur. Ob quam causam Sa-
 cramentum extremæ unctionis
 nomen accepit.

C A P V T X X X.

Ostenso

Ostenso quid ad hoc Sacramentum extreme unctionis modò usitatum requiritur, & in quo sensu à modernis promouetur, iam secundò restat uidendum, an illa omnia possunt ex scriptura docere, & in uerbis prædicti beati Iacobi Apostoli uerè possint confirmari, & uidetur quod non.

Nam hoc primùm nõ est fundabile, quòd oleũ ad tales utilitates ex eius unctione consequendas debeat taliter sanctificari, ut ex eius imitatione recipiant homines plenam in anima & corpore sanitatem.

Apostolis enim non legitur data potestas illa, seu talis potestas ad demonia de creaturis taliter eiciendi. Ab hominibus autem leguntur demonia eiecisse, & ad hoc accepisse potestatem, ut per eorum sollicitudinem, & labores homines per gratiam Spiritus sancti, sanctificentur. Ad talem autem sanctificationem animarum, nullas taliter sanctificabant creaturas, sed dicere solebant hominibus, uelut **Apostolus Paulus** 1. Corinth. 6. capite dicit: Sed **ablut**i, sanctificati estis in nomine Domini nostri **IESU CHRISTI**, & in spiritu Dei nostri. Et iterum **Roman.** 3. capite: Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & hoc est rationabile & benè fundabile, & uera sanctificatione ostendatur hominibus in Christo.

Non ergo Apostoli acceperunt potestatem à Christo, ut tot & tanta Sacramenta noua & recentia, quæcunq; eis placerent statuerent hominibus, & supra magistrum suum Christum ista multiplicarent, sed ab Antichristo moderni hanc potestatem receperunt.

Talia Sacramenta multiplicandi & solennizandi, qui secundum scripturas uenit in nomine suo, & totam potestatem & auctoritatem sibi usurpat in Ecclesia, ut nulla potestas, nullus gradus, nulla scientia seminetur sine eius licentia, imò, ut nec ieiunia, festiuitates, uel pœnitentia aliter erant in auctoritate eius, & sic factus, & ut nullum timeat, sed ut omnes ipsum respiciant & uereantur.

Et qui secundum Augustinum de uerbis Domini, Sermon. 8. dicit: Ego sanctifico, ego iustifico, quod ego dederò, hoc sanctum est, & quia ad Christum uenienti, & Euangelium audienti, & ibi credenti, ac baptizato dicit: non es mundatus. Quare? Quia ibi non fui, omnia scilicet in suam auctoritatem colligens, ille Pontificibus dedit potestatem, ut talia recentia Sacramenta, quæcunq; uoluerunt supra CHRISTVM & eius Apostolos introducere possint, per quæ somniant homines plenam in anima & corpore posse recipere sanctificationem, & cuiilibet rei sanctæ prius fingūt se posse sanctitatem superaddere per benedictiones eorū, & hinc de sua plenitudinis potestate fingūt se posse hominibus spirituales

spirituales cōcedere gratias & indulgentias ab auditione missæ, ab horis dicendis, & alijs spirituales orationibus, & genu flexione ad sonum campanæ, uel cū audiunt Christum uel Mariam nominari à uisione Sacramenti, ab osculo pacis, ab asperzione aquæ, &c. Quæ nunquam Apostoli attestauerūt, & hoc monuit Doctorem Euangelicum dicere in suo trialogo, de talibus recentibus antichristi Sacramentis, & à modernis tantū magnificatis, & solennizatis, cap. de Confirmatione. Quibusdam uidetur, quòd ista breuis & leuis ipsorū confirmatio cum adiectis ritibus tantū solennibus, est ideò intentione Diaboli introducta, ut populus in Ecclesiæ fide illuderetur, & ipsorum solennitas aut necessitas plus crederetur. Hæc ille.

Sic nec istud uidetur fundabile, ubi Rokenzanda nolens magnificare Sacramentum olei modò usitatum, post Christum & Apostolos nouiter introductum, attribuit unctioni olei remissionem peccatorum. Oratio autem quæ maioris est efficacis alleuiationem corporis, quod ex uerbis beati Iacobi potest conuinci. Hoc non est fundabile, cū beatus Iacobus utrumque orationi tribuit, scilicet & remissionem peccatorum, & alleuiationem corporis, quando dicit: Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittuntur ei. Hæc enim ambo dignè orantes semper poterunt obtinere, dummodò impedimentum non interuen- rit, ex

rit, ex parte recipientis. Nam ad hoc est præceptum Domini, quo dicit, sic autem orabitur: Et dimitte nobis debita nostra, sic & de infirmitate dicit Evangelium: Ecce leprosus ueniens, adorabat eum, dicens: Domine, si uis potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum dicens: Volo mundare. Et communiter ex scriptura docetur, quod qui dignè credentes, & non hæsitantes orauerunt. Si non intruenerit impedimentum ex parte recipiētis, utrumque per orationem obtinere solent, remissionem scilicet peccatorum & alleuiationem corporis, & hoc quod fides docet, Iacob. Apostolus innuit hortans homines, ut in infirmitatem incidentes, à Deo querant remissionem peccatorum & alleuiationem corporis, & pro illo docet eos orare. Rokenzana autem uolens esse legis doctor, præter uerba Apostoli abstrahit orationi remissionem peccatorum, & attribuit eam unctioni olei, quod non uidetur, sustinendum. Cùm deberet hoc primum ex fide doceri, quod Deus det talem uirtutem oleo, sed cautè Rokenzana mendicit, quando dicit: Licet spirituales sanationem quæ per unctionem fit, digni semper suscipiant, non tamen semper expedit sanitas corporalis, ut per orationem impetretur. Hoc fortè sic idèo dicere potest, quia uisitans infirmos cum oleo suo non cognoscit se habere potestatem, ut aliquando per suam orationem alicui impetret sanitatem, idèo, ne ita apparenter confundatur dicit, quod non

L semper

semper expedit sanitas corporalis, de remissione autem peccatorum potest loqui quicquid uult, quia inuisibilis est, & de illa nullus aliquid obijcere potest, si nec illud uerba beati iacobi uidentur pretendere, quod hoc Sacramentum unctionis non quibuslibet infirmis, sed de proximo morituris debeat ministrari, cum iacob. Apost. orare docet & unctionem suscipere ad recuperandam uitam, non autem ad deperdendam, & quando aliquis post talem orationem et unctionem sanitatem adeptus fuerit, potuit diu uiuere, sicut Ezech. post infirmitatem per unctionem, tempus uitae longioris acquisiuit. Si igitur Apost. specificasset ibi ultimam infirmitatem, non hortaretur, ut per orationem quaerant sanitatem, sed hortaretur eos ad disponendum domum suam, sicut dixerat Esaias ipsi Ezechiae regi, ut disponat domui suae, quia morietur & non uiuet, & per consequens uerba Apost. sunt communia, quae possunt in eodem homine non semel sed plures adimpleri, nec ex sacra scriptura uidetur doceri oppositum, quin possit dari quibuscumque infirmis, & quotiescumque sunt infirmi, cum Saluator Marc. ult. absolute dicat de credituris in eum. Super aegros manus imponent, & bene habebunt. Et Apostolis similiter dictum erat absolute: infirmos curate, & sequitur Christi discipulis Luc. 10. Nec B. iacob. uerba ad contrarium impellunt, imo, si ita esset, ut communiter dicitur, quod hoc Sacramentum extremae unctionis sit ordinatum propter deletionem leuium peccatorum, non uidetur rationale statutum, quod ordinatum est, quod hoc Sacramentum tantum in fine

uitæ hominis ministratur. Quia cum homines cõri-
nuè uenialiter peccāt, ideò si Deus uelit habere Sa-
cramentũ speciale, pro deletione talũ leuiũ pecca-
torũ, tunc faceret illud fieri cõmune, & nõ restrin-
geret ipsum ad certũ & determinatũ tantũ tẽpus,
& si dicat quis primũ locũ habent alia Sacramentũ,
istud aut̃ ordinatum est pro agone mortis, cõtra hoc
posset querere aliquis, Si istud Sacramentũ tũc sup-
plet locũ aliorũ Sacramentorũ, quare tũc datur Sa-
cramentũ Eucharistiæ, & quare illud ante mortẽ et
in morte est cõmune. Et istud tantũ in agone, & sũ
Sacramentũ Eucharistiæ tunc datur et abundantius
sanctificat, & uirtus eius trãscendit istius utilitatẽ,
uidetur, quod superfluat istud, & per cõsequens nec
hoc uidetur fundabile dicere, quòd hoc Sacramentũ
sit tantũ propter uenialia peccata delenda ordina-
tũ, sed probabilius uidetur dicendũ, quod Iac. Apost.
loquitur de peccatis mortalib. remittendis per ora-
tionẽ deuotã aliquando à Domino, & ad hoc signi-
ficandum Apost. sub nota dubietatis loquitur, quan-
do dicit: & si in peccatis fuerit, remittentur ei, quia
sine uenialibus indubitanter esse nõ possumus quã-
diu uiuimus in hac uita, cum scriptum sit: Nõ est ho-
mo sic iustus super terrã qui non peccet. Et Apostoli
dixerũt, 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatũ non ha-
bemus, ipsi nos seducimus, et ueritas nõ est in nobis.
Et tales multæ circa hoc moueri possũt difficultates,
quas introduxerũt circa talia Sacramẽta inutiliter

quod pensans Doctor Euāgelicus, ubi suprā ita scribit, utrum autem licet sic uncto infirmato, postmodum incedere super terram, & utrū oportet Presbyterum habere euidentem notitiam, quòd sic unctus terram amplius non calcabit, & utrum reiterari poterit hoc Sacramentum extreme unctionis, est dubitabile apud multos. Sed relinquo stolidis huiusmodi dubietates inutiliter pertractandas, unū asserens mihi probabile, quòd sic infirmatus & unctus, ac postmodum corpore cōualescens, ac unctus posterius non tunc recepit Sacramentum extreme unctionis. Hæc ille.

Nec insuper illud uidebitur fundabile, quòd talis unctio tantum organis quinq; sensuum applicetur, ut est mos Romanæ curiæ, cum sensus extrinseci in homine (licet in aliquibus fuit quedam radix ex parte, per quas spiritalis in animam ingreditur infirmitas) non tamen in omnibus, cum quidam sunt à natura cæci, muti & surdi, & aliqui carent sensu olfactus, alij gustus, alij tactus, & si qui habent omnes potentias sensuum, illa tamen non sunt immediata radix spiritalis infirmitatis, cum cor in homine sit principaliter radix omnium talium infirmitatum, de quo secundum dictum ueritatis exeunt malæ cogitationes, homicidia, furta, &c. Ergò secundum hoc rationabilius uidetur, quòd peccatus illi suppositum & consequenter alia similiter membra, quæ Apostolus dicit esse arma iniquitatis inungantur.

tur. Quia cum homines non solum peccant per sensus, sed etiam per singula membra, per caput, crines, frontem, faciem, per corporis gracilitatem, in quibus membris singulis permittit se uelle poenitere, uidelicet Esai. 3. Et alia scriptura dicit: Per quæ quis peccat, per hæc & punietur & torquetur. Ideo si hoc Sacramentum ordinatum est in remedium eorum peccatorum, quæ homines per sensus corporis contrahunt. Quare non omnium cum eodem odio odit Deus peccata frontis, faciei & crinium, sicut & quinque potentiarum sensuum, & mouet ratio. Ex quo hoc Sacramentum institutum est propter morbum corporalem, sed morbus corporalis occupat quandoque totum corpus, sequitur, quod totum corpus rationabiliter est unguendum.

Similiter si in Baptismo ob significandum uersalem animæ mundationem, totum corpus immergitur, quare similiter totum corpus, dum totum inuadit infirmitas oleo (quod ualeret ad corporis sanitatem) regulariter non ungeretur, & faciebant sic antiquitus, ut antiquæ testantur agende, & hodie in partibus aliquibus non unguuntur organa sensuum, sed pedes & lumbi.

CAPVT XXXI.

EX quibus omnibus pensatis bene & examinatis fide scripturæ potest cognosci, quod illud Sacramentum extremæ unctionis, quoad sensum & formam modò usitatam, & conditiones prædicant non habet uerum fundamentum in illis uerbis beati Apostoli Iacobi ante dictis, licet sub uerbis illis Apostoli sit impertinenter supra Christum & eius Apostolos introductum, nec etiam uerè, quoad hoc fundatur in illo uerbo Euangelij Marc. sexto capite, ubi Euangelista de Apostolis **CHRISTO IESU** Domino & Seruatore nostro missis ad prædicandum, sic dicit: Et exeuntes prædicabant, ut poenitentiam agerent, & demonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos egrotos, & saluabantur. Quia Petrus de Thaurantho super 4. Sentent. loquens de Sacramento unctionis, scribit: Illa unctio, de qua Marc. 6. cap. erat in miraculum, & non in Sacramentum. Hac ille.

Et per consequens Magister Ioannes Rokenza-na, si uult hoc Sacramentum unctionis extremæ pro quo tam graues fert labores bene stabilire, de præstantiori ipsius fundamento sibi prouideat, quàm est istud, Quia in petra firma minimè est fundatum, sibi non subsistit.

Quamuis autem hoc Sacramentum extremæ unctio-

unctionis uero fundamento careat, Sacerdotes tamen auari, ipsum minis defendunt & commendant, & homines etiam pessimi, communiter pro illo multam instant. In Sacerdotibus enim auaris maior esse deuotio ad hoc Sacramentum non apparet, nisi ut lucrum temporale eis accrescat, qui paruo pretio oleum illud, ut communiter à Symoniacis & symoniacè promotis, benedictum symoniacè ab Episcopo comparantes, & per diaconatus diuidunt, & Plebani post illud augmentantes per leuem tantum tactum pollicis illo mediante maiorem summam pecuniæ colligunt, quam multe penestice de multis uasis olei oliuarum.

In hominibus cæcis & malis, alius fructus ex acceptione eius non apparet, nisi suppodiatio quædam uana & inutilis, ut ex tali, quali perceptione hominis infirmi, huiusmodi unctionis, amici superstites, hominis mortui possunt dicere in plena ueritate, casum uitæ suæ finiuit, & compositionis, solus adhuc candelam in manus suas recepit, non illam prætendit beatus Iacobus Apostolus docens orare super infirmos, & ipsum ungeri, sed ut dictum est superius, sicbat hæc unctio pro consolatione infirmi cum circumstantijs ad hoc aptis & idoneis, & oratione deuota, quæ unctio pertinet specialiter ad Sacerdotes, qui uelut Patres spirituales primi debent esse executores

diuinorum præceptorum, & instructores fidelium,
 & orantes super infirmos, & in spe futuræ uitæ be-
 atæ ipsum consolantes, deinde pertinet ad quemli-
 bet Christianum indifferenter, de quanto sentit se
 obligatum ad exhibendum cuilibet pro posse bene-
 ficium. Ex illo Christi dicto: infirmus fui, & ueni-
 stis ad me, & de quanto timet incurrere crimen di-
 uitis epulonis, non impendentis beneficium Laza-
 ro, ante ianuas suas iacenti, sed quia uariæ infirmi-
 tates, uulnera & miseriæ uexant homines, in qui-
 bus indigent consolatione, & pro recuperanda sa-
 nitate ille illa, & alij alia indigent medicina, si com-
 busti sunt, aliqui in lateribus, uel alijs partibus cor-
 poris, non incongruè sumerent unctionem olei oli-
 uarum, ad hoc ualentem, si uulnerati, alijs empla-
 stris diuersis sunt consolandi, si sanie uel sordibus
 alijs iacent, illi non tam oleo quam lixiuio, pro ab-
 luendis uestimentis, & lauandis corporibus defæ-
 datis indigerent, nec beati Iacobi uerba ad con-
 trarium impellunt, quin hæc omnia licitè & me-
 ritorie à quolibet, cui uires suppetunt, fieri pos-
 sunt, sic & quilibet ex fide tenetur, pro alio indi-
 gente & infirmo orare, ad quantum se scit ex illo
 dicto beati Iacobi Apostoli obligatum, quo dicit:
 Orate pro inuicem, ut saluemini. Et ex illo, quo
 ueritas dicit, sic orabitis: Dimitte nobis debita no-
 stra, & ne nos inducas in tentationem. Ista funda-
 mentum haberent in prædicto uerbo Iacobi, non au-
 tem illud

tem illud prædictum uocatum sacramentum cum conditionibus & sensu prædictis. Sed licet illa, quæ ex uerbis Apostoli dicta sunt, sint multum utilia, quia tamen caret lucro temporalium, & sunt sacerdotibus tædiosa, inò infideliter ab eis præmitterentur. Hoc ergò timere deberet aduersarius proprio confodiendus iaculo, quod contra nos emisit alle-gans D. Archidiaconum, quò dicit, omnes qui sacramentum extremæ unctionis conferre renuunt aut negligunt, ad quos ex cura (quam gerunt) illud pertinet damnationem ut mihi uidetur, sibi acquirunt, qui non nos inculpat, sed seipsum, de hoc quod Sacramentum unctionis ad sensum, finem & effectum, & intentionem, beati Iacobi non practicat, sed loco illius practicat nouum sacramentum & infundabile, & ergò caueat sibi ex hoc ne à domino arguatur.

NON BENE FVNDAT M. IOANNES
Rokenzana, Sacramentum confir-
mationis in sensu & forma mò
dò usitatis in scri-
ptura.

C A P V T XXXII.

Iam alium punctum M. Ioannis Rokenzanæ de-
bet examinare, quo nititur Sacramentum confir-
mationis

L 5 firmati-

firmationis in sensu & ritibus tantum solemnibus
 modo usitatis, fundare in illo Matth. 10. Acto. 18. &
 19. cap. ubi fit mentio de impositione manus Christi
 in paruulos, & Apostorum in baptisatos, adducunt
 pro illo plures authoritates sanctorum doctorum,
 sed qui uult diligenter pensare dicta loca scripturae,
 reperiet, quod illa non sunt pro sensu & forma Sa-
 cramenti confirmationis modo usitati, sed sunt
 pro Sacramento manus impositionis, quod Aposto-
 li ex Magistri sui exemplatione didicerunt, quan-
 do post ipsius ascensionem, illud erga conuersos
 ad fidem CHRISTI exercuerunt. Hinc ad scri-
 pta Magistri Ioannis Rokenzane respondet pro
 nobis, & nos cum illo Doctor Euangelicus in tri-
 logo tractans de hoc Sacramento ita scribit, quod
 nimis leuis uidetur esse huius Sacramenti in Apo-
 stolorum actu fundatio, de quo scilicet Actuum 8.
 habetur, cum dici potest probabiliter, quod licet ba-
 ptizatio in nomine I E S U Christi fuit ad tempus
 ualida, quousq; non fuerat istud sufficienter publi-
 catum, tamen publicatione hac facta, fuit ad for-
 mam uerborum Euangelij redeundum. Et sic no-
 minatenus baptizati, in Samaria fuerunt legitime
 baptizandi, & confirmatur ex hoc, quod baptiza-
 tos nostros dicimus regulariter Spiritum sanctum
 accipere, eo ipso, quod legitime baptizantur mul-
 to ergo magis hoc fuit uerum, in primitiua Eccle-
 sia, sed in textu dicitur, quod Petrus & Ioannes
 im-
 po-

imposuerunt manus super eos & accipiebant Spiritum sanctum. Ac si non ante illum Spiritum sanctum accepissent, quomodo ergò antè legitime fuerunt baptizati, nec obest, quod conuenit baptizantem super baptizatum manus imponere, exemplo Apostolorum. Si ergò inquit Doctor, ex textu isto præcisè conuincitur, confirmationem esse appropriandam Episcopis, (& communiter innuunt) oportet, quòd ipsi imponant super confirmatos manus suas, ut Spiritum sanctum accipiant, sed ista Spiritus sancti susceptio, nec docetur signo uisibili, nec etiam ratione, quomodo ergò ex isto textu concluditur, quòd Episcopi dant hoc Sacramentum pueris, quos confirmant, & quantum ad Oleum quo unguunt pueros & peplum lineum, quòd complexum est capiti, uidetur, quòd sit ritus leuis, infundabilis ex scriptura. Hæc ille.

Et plura ibidem contra hanc confirmationem multiplicat argumenta, quæ qui uult uidere, potest in loco.

Ex quibus quilibet qui uult fideliter eius pensare uerba, potest cognoscere, quòd iste Doctor non dicat hanc confirmationem modò usitatam, supra CHRISTVM & eius Apostolos infundabiliter introductam esse, fundatam in illis locis allegatæ scripturæ, ubi Magister Ioannes Rokenzana ipsam fundare nititur, quòd indubiè loquitur, suspectum habens ad confirmationem in sensu

sensu & forma modò usitata. Non autem ad manuum impositionem in quantum uidelicet à Christo in sui puritate & substantia est exemplata, & per Apostolos post eius ascensionem erga conuersos ad fidem practicata, quam dicit, quò ad hoc esse fundatam in illo Act. 8. ubi Apostoli imponebant super baptizatos manus absq; omni materia modò usitata, ubi cum super 1. Cor. allegat Rokenzana. Et eodem modo intelligendum sunt & alij doctores, quos ibidem adducit Rokenzana, quod loquentes de confirmatione & eam fundantes in allegatis locis scripturæ loquuntur de ea, in quantum à Christo in sua substantia & puritate est exemplata, & per Apostolos practicata, scilicet, quò ad manuum impositionem, non autem quantum ad chrismationem, & ritus alios solennes, aut ad sensum modò usitatos, & post infundabiliter quò ad scripturam introductos. Quia quantum ad hoc & Thomas loquitur de institutione huius Sacramenti, refert de quibusdam dicens, quò aliqui dixerunt, quò nec Christus nec Apostoli talem confirmationem instituerunt, sed quò in successu temporis sit in quodam concilio institutum, quò & alij plures dicunt, qui in prima parte huius circa eandem materiam sunt adducti, ubi autem doctores quos Rokenzana in suis scriptis adducit, pro tali confirmatione modò usitata, mentionem faciunt de chrismatione & ipsis chrismatis per Episcopum benedictione loquuntur, secundum exigentiam

exigentiam temporis, quando iam mos talis inoleuit, non intelligentes, quòd talis confirmatio uel chrismatis per Episcopos benedictio sit de necessitate sacramenti, manus impositionis suprà dicti & per Apostolos practisati, sed de institutione Ecclesie, ut in prima parte deductum est. Videat ergò Rokenzana, quid per suum tam grauem labyrinthum efficit, contra nostram in hoc puncto catholicam & bene fundatam super firmam petram sententiam, &c.

SEQUITVR DE SECUNDA
Culpa.

CAPVT XXXIII.

IAM ad secundam culpam accedimus, nobis subtili forma propositam. Sacerdotes Taboritarum sunt mortuis hominibus nociui, quia pro animabus defunctorum non orant, alios ab oratione & operibus pietatis, pro animabus fiendis abducendo, & ad hoc legem Dei non habent, atq; scripturas sanctorum non habent, quod hoc sit malum. Ad quam taliter respondemus, quod saluandis mortuis non nocemus, docentes populum, ut uiuant secundum legem Dei, prout uniuscuiusq; requirit status & conditio, credentes ex eadem lege etiam sanctam Ecclesiam catholicam, & eius in omnibus bonis operibus

peribus communionem, sic uidelicet, quòd opera bona mortuorum, quæ hic exeuntes fecerunt, sunt pro consolatione uiuorum, & econtrà, bona operationum uiuantium sunt, & finaliter erunt pro consolatione mortuorum, nec quantum ad hoc negamus, quando uiui homines suis pijs operibus proficiunt sint mortuis, cum ponamus eos in participio superstitum modo predicto, & tenemus ex antè dictis in prima parte ex testimonio CHRISTI, Apostoli Pauli, & Origenis, quòd nondum Sancti iam mortui receperunt consummatam læticiam suam, sine nobis.

Nam Apostoli & ipsi expectant, ut & nos ipsorum læticiæ participes fiamus, & ipsi nostra cum cuilibet Christiano augebitur læticitas, quando quilibet læticiæ ac meriti alterius participet, ubi autem specialiter nos inculpat, quòd pro animabus mortuorum non oramus, & alios ad hoc non exhortamur, & talibus pijs operibus suffragentur ad modum usitatum, & intentionem Magistrorum, qui præsupposito loco purgatorij, post hanc uitam animarum à corpore exutarum, quæ non ad plenum hic in uia pro peccatis satisfecerunt, summa cum diligentia pro fidei articulo docent, quòd fidelis hic in uia talibus propter unionem charitatis & Spiritus, debent ieiunijs & orationibus, & eleemosynis, & sanctis operibus suffragari.

Ad hoc taliter respondemus, quòd attendentes de loco purgatorij uarietate doctorum, qui non certitudinaliter docent, utrum uidelicet hic in præfenti uita, tempore legis gratiæ animæ saluandorum ad plenum purgentur, an primo in die iudicij corporibus assumptis igne emundatorio ipsius, quo exuretur, facies mundi huius expientur, uel utrum fiat hoc secundum sensum Magistrorum, tempore medio die iudicij præcedente, cum aliqui doctorum ad unam doctrinam temporis hanc saluandorum purgationem limitare uideantur, & alij ad aliam ut in prima parte latè ostensum est, & non uidentes aliquam scripturam expressam, ad tenendum talem locum purgatorij, quem Magistri somniant pro fidei articulo, sub damnatione æterna obligantem, & considerantes homines ex hac continuè in pœnis proficere ipsum astringere & promouere pro fidei articulo non audemus, & per consequens, quàm diu de ipso ex scriptura certificati non fuerimus, non uidetur nobis, quod fideles hic in uia, debeamus adhortari, ut talibus quos somniant, in tali existere purgatorio ieiunijs, & orationibus, elemosynis, & sanctis obligationibus, debeant taliter, ut ipsi promouent, suffragari, quid autem nos finaliter sentiamus de purgatione animarum saluandarum ædificantium supra firmum fundamentum, quod est

C H R I S T U S, lignum, fœnum ue. stipulam,

satis

satis ostensum est, in prima parte, ubi tractatur de purgatorio specialiter eiusdem materiae ultimo capitulo.

PURGATORIUM POST HANC VITAM esse in sensu, quomodo communiter promouetur, non esse fundabile in scriptura.

CAPVT XXXIIII.

Quando autem M. Ioannes Rokenzana fundare nititur, quod locus purgatorij post hanc uitam sit animarum eorum, qui saluandi sunt & non satisfecerunt hic pro peccatis, in quo poenas sustinentes, corporales, sensibiles purgantur, & de illo post purgatorium nunc ante diem iudicij aliqua exirent prius, & alia posterius, quibus fideles hic in uia debeant ieiunijs & orationibus, eleemosynis & sanctis oblationibus suffragari, pro illo plures allegant scripturas, ille tamen si fideliter, & uerè, & diligenter aduertantur, non sunt pro illo uel tali purgatorio, nec ipsum datum est primarium significatum alicuius partis sacrae scripturae, quas ipse cum alijs pro fundatione illius dicti loci allegare consueuerunt, & quia inter orationes scripturas, quas pro existentia talis loci purgatorij Magistri adducunt non est fortior, quam di-

etum Apostoli 1. Cor. 3. de ligno, fœno & stipula, in
 quo communiter omnes qui loquuntur de purga-
 torio, ipsum ibi fundare nituntur, ideò restat nobis
 uerum sensum illius scripturæ inuestigare, quo in-
 uestigato atq; ostenso, quod illa uerba Apostoli non
 bene uidentur uerificari posse de uirtute sermonis
 ad sensum M. pro existentia huius loci purgatorij,
 constabit illud fundamentum cum eo super ædificio,
 esse iam onerosum & iniectum. Cum autem non
 uideatur uerior sensus illius scripturæ Apostoli, nisi
 quem doctores in prima parte huius adducti expri-
 munt, sententiantes quòd animæ saluandorum supra
 fundamentum, quod est Christus, lignum, fœnum et
 stipulam ædificantium in uita præsentis per ignem
 tribulationis & alios modos in secunda suppositio-
 ne huius materiæ expressos, uel in mortis articulo
 statim in aduentu futuri sæculi, uel si quid purgan-
 dum post hanc uitam in eis remanserit, per ignem
 emundatorium extremi iudicij ab omnibus suis in-
 quamentis secundum Dei ordinationem finaliter
 purgabuntur, cum doctores prædicti illa uerba Apo-
 stoli exponant ad literam de die iudicij, & de igne
 emundatorio, qui reuelabitur ex ipso & ad sensum
 mysticum de die & igne præsentis tribulationis, ut
 in prima parte huius latè demonstratum est. Et uer-
 ba Apostoli bene de uirtute sermonis illi utriq; sen-
 sui adoptantur, ideò relinquitur quod sensus M. lo-
 annis Rokenzanæ cum cæteris sibi in hoc adheren-
 tibus

tibus Magistris quem ipse pro existentia talis loci purgatorij somniati, ex illis uerbis Apostoli elicit, ipsis non potest coaptari, nec ipsum dictum est primarium significatum illius scripturæ. Quia, si ibi Apostolus per diem Domini, prout ipsi uolunt, intelligere, uelit diem mortis, & per ignem talis purgatorij somniati, qui opus uniuscuiusq; probare debeat, tunc necessario omnes generaliter intrarent illud purgatorium, & cum secundum Magistros, qui ædificant supra fundamentum, quod est Christus, aurum, argentum, & lapides preciosos, uel quibus damnatio parata est, & CHRISTUS in fundamento non habuerunt, purgatorium illud eorum non intrant.

Relinquitur ergò, quod non est ille sensus uerborum Apostoli, quem Magister Ioannes Rokenzana sibi fingit, nec hoc uidetur dicendum, quod mors hominum declararet & manifestaret omnia opera sua. Quia quamdiu mors durat, nihil certum scit, nisi post separationem animæ à corpore, & hoc iam erit post diem iudicij, secundum eorum intellectum, & ergò non uidetur illud posse suscipi & per consequens potest uideri ex hoc, quod Rokenzana capit hoc per suam expositionem ex uerbis Apostoli, quòd nec illa uerba exprimunt, nec per sententiã cõtinent, & per hoc faciliter inuestigari potest falsus sensus Scripturæ, quando sensus elicitus non potest stare cum illo, de quo Scriptura

ptura loquitur, sed si quis uult bene exponere scripturam, maxime debet attendere, quod illa Scriptura exprimit. Quia illud quod exprimit, illud uult, aliàs de facili homo possit decipi, & à uero sensu & primario scripturæ per expositionem allicuius abduci, quando ex scriptura trahit aliquid aliud, quod nec illa scriptura exprimit, nec per sententiam continet. Hinc beatus Augustinus uolens ostendere, quod ex his, quæ exprimuntur in scripturis sensus earum debet queri, sic sermone 220. scribit: accipe quod certum est, & dimitte quod incertum est, quid aliud credere debeo, nisi quod lego, quod autem lego, hoc & prædicare audeo, Hæc ille. Et pro eodem est Hieronymus in Epistola contra Heluidium, de uirginitate perpetua beatæ uirginis Mariæ, qui sic scribit: Natum Deum esse ex uirgine credimus, Quia legimus Mariam nupsisse post partum, non credimus, quia non legimus. Hæc ille.

Ecce isti doctores fidem non fundant in alio, nisi in eo quod legunt, & hæc loqui & prædicare sine formidine audent, quia secundum Ambrosium, nihil iniquius quam nolle credere simpliciter, quod legitur, & audere credere, quod non legitur, Quicquid Scriptura dicit, præterire, de quo tacet, Hoc ex illa eliciendo tenere, & per consequens, illud esse confictum ab antiquo mendacium, quod M. Iohannes Bokenzana ex dictis uerbis Apostoli pro-

conficito loco capit purgatorij, cum sensui illi non bene possunt uerba Apostoli coaptari, per quod capere debet sibi Rokenzana, ne ex hoc falsum Prophetam imò & hereticum, si pertinaciter hoc tenuerit, se ipsum attestetur. Scribit enim Origenes Om. 2 super Ezech. Si quis legens Euangelium proprium sensum aptat Euangelio, non ita intelligens, ut Dominus locutus est, iste falsus Prophetas est, loquens de corde proprio in Euangelio, & de hereticis nihil absurdum est, hæc dicta intelligere, Deserunt quippe quasi de Euangelij & quasi de Apostolis eorum suorum fabulas, proprium cor exponentes, non cor Spiritus sancti. Neq; enim possunt dicere, Nos autem sensum Christi habemus, ut uideamus ea, quæ à Deo nobis donata sunt. Cum autem & super me uenerit, qui dicor Euangelicus, qui accipio librum sanctum & nitor ipsum interpretari, hoc quod de hereticis intelligi potest, quæso audientes ut diligenter attendant, & accipiant gratiam Spiritus, de quo dictum est, discretionem spirituum, ut probat Trapezeta factum, diligenter obseruent, quando falsus frater sum, quando uero prædicem, quæ pietatis sunt ac ueritatis. Si itaq; inuenio in Moyse & in Prophetis sensum Christi, non de corde proprio loquor, sed de Spiritu sancto. Si autem nihil congruum inueniens, mihi metipsum confingo, quæ loquar fluctuans sermonibus, qui sunt delicti à Deo, de meo potius corde, quam de Dei sensibus

fibus loquor, Hec ille. Idem Omel. 6. super Leuitico sic scribitur: Ponitur autem super illo & ueritas, ut non illa quæ proprio quiuit excogitare ingenio, sed quæ ueritas habet, ne unquam à ueritate discedat, ut in omni sermone eius semper ueritas maneat. Hoc est ergo superposuisse rationabili manifestationem & ueritatem, Hec ille. In quorum confirmationem doctor Euangelicus in tractatu de ueritate sacrae scripturae ita scribit cap. 5. Omnis expositor explanat & defendit expositum, & non negat ipsum, sed concedit ut compendiosum theorema, super quo ut fundamento stillat, secundum sensum confirmatum, expositio quidem non est scriptura sacra, sed eius præco uel ancilla, non negans dominam suam, sed ex uerbis proprijs quæ mutuatur de domina ipsam reuerenter detegens & explanans. Hec ille. Hinc est quod Chrysostomus de opere imperfecto super illud Matth. 7. erat docens, quasi potestatem habens, non sicut Scribae & Pharisei ita scribit: Omnis doctor seruus est legis. Quia neque supra legem addere potest aliquid de suo sensu, neque subtrahere secundum proprium intellectum, sed hoc tantummodo prædicet, quod habetur in lege, nec enim potest mens humana detrectare, quod sapientia dictauit, & infra. Qui autem hoc ausus est facere, se sapientio rem esse putat, quam Deum, & incipit esse falsus testis, quia id dicit, quod non audiuit, nec uidit. Sic enim Salomon ait, ne addas ad uerba

Dei neq; subtrahas inde. Qui autem ausus est hoc facere, se sapientiore esse putat quàm Deum, & incepit esse falsus testis, quia id dicit: Quod nec auris audiuit, nec oculus uidit. Hæc ille. Hieronymus in epistola ad Pamachium, scribit: Commentatoris officium est, non quod ipse uelit, sed quod sentiat ille quem interpretatur, exponere, alioquin si contraria dixerit, non tam interpres quàm aduersarius erit, quem nititur explanare, certè ubicunq; scripturas non interpretor, & liberè de meo sensu loquor, arguet me quilibet. Hæc ille.

Et Augustinus in Psalmo 74. super uerba calix uini meri, plenus mixto, &c. sic scribit: Quantum donat Dominus ut intelligam, potest enim alius melius, quàm sic se habet obscuritas scripturarum, difficile est ut pariant unum intellectum. Quicumq; tamen intellectus exierit, opus est ut regulæ fidei congruat.

Iste omnes authoritates sanctorum sunt ad hoc, quod ex his, quæ exprimentur in Scriptura, sensus eorum debet queri, & quod exponentium officium est, nõ quod ipsi uolunt & sibi confingunt, sed quod sentiat ille quem exponunt, & quod sensus quicumq; exierit, semper regulæ fidei conformetur, quod non potest docere Romanenzana, de sensu quem in uerbis Apostoli sibi fingit.

QVARE PVRGATORIVM, QVOD
per M. Ioannem Rokenzanam, & alios
communiter promouetur, uoca-
tur somnium.

CAPVT XXXV.

NEc miretur aliquis, quòd locum purgatorij,
quem M. Ioannes Rokenzana promouet,
confictum aut somnium appellemus. Nam
beatus Augustinus libro 2. de Sacramentis, de illo
scribit: Locus purgatorius non est determinatus,
nisi quia multis exemplis & apparitionibus ani-
marum in huiusmodi pœnis positarum, monstratus
est, & fortè probabilius dici poterit, ut in his locis
singule animæ credantur sustinere pœnam, in qui-
bus commiserunt culpam. Hec ille.

Et eandem sententiam tangit Augustinus in li-
bro 2. de Sacramentis, in quorum Sanctorum uerbis
tria tanguntur, Vnum, quòd locus purgatorij ex
sede scripturæ determinatus non est. Secundum,
quòd solum exemplis & apparitionibus anima-
rum in huiusmodi pœnis positarum, monstratus sit.
Et tertium, quòd nullum ex his affirmant, sed sub
dubio omnia de eo relinquunt, quando subdunt, &
fortè probabilius dici potest, ut in his locis singule
animæ credantur sustinere pœnam, in quibus com-
miserunt culpam.

Et idem Augustinus de pœnitentia, de igne purgatorio scribens, ait: Melius est, inquit, ut discam bene uiuere, quàm incerta de igne huiusmodi seminarè. Si enim benè uiuens sufficienter pœnituerò, ignem supplicij non timebo. Hæc ille. Et B. Gregorius in dialogorum narrat, quòd solùm in apparenti uisione nocturnali cuiusdam monachi liberatio ipsius fratris, qui dicebatur ustus de purgatorio fuit sibi promulgata, quo audito sic concludit: concordante uisione & sacrificio res apertè claruit, quòd frater, qui defunctus fuerat per salutarem hostiam supplicium euasit, potuit tamen illa apparitio facta fuisse à Diabolo, in multorum futuram deceptionem introducta, uel potuit frater dicere hoc nolens confusionem fratris germani & propriam palliare, & idem de Diacono Pascasio, qui quamuis magnæ fuit Sanctitatis, tamen quia litigantibus Symacho & Laurentio parti non habenti ueritatem consenserat, condemnatus ad seruiendum, intrantibus Balneum naturale, & dicit sibi hoc fore à senioribus relatum, quòd germanus Episcopus ex consilio medicorum, lauans in eodem balneo, ipsum Pascasium stantem & ministrantem inuenisset, & idem iterum ibidem scribit de uno sacerdote, qui balneauit in balneo naturali, & inuenit ibi animam cuiusdam hominis, illi sacerdoti ministrantem, & post ea dicit, quòd eam ab inde per orationem liberasset, secundum hæc ergò dicta Gregorij, locus purgatorij esse deberet, in balneis

balneis naturalibus. Alij autem fabulantur, quòd quædam animæ purgantur in umbra, dicentes, hoc aliquibus esse à Gregorio reuelatum. Aliqui dicunt quòd purgantur in glacie, sicut legitur de S. Theobaldo: Et quidam piscatores Theobaldi in autumnno frustum magnum glaciæ pro pisce prendiderunt, de quo magis quàm de pisce gau si sunt, maxime quia Episcopus dolore pedum laborabat, ipsam glaciem ipsius pedibus supposuerunt, & magnum ei refrigerium præstabat. Quod in uerò uice de glacie uocem hominis audiuit, qui ab Episcopo adiuratus quis esset, respondit: sum quædam anima quæ hic in gelicidio pro peccatis meis affligor, & liberari possem, si 30. Missæ sine interuallo 30. diebus continuis dicerentur, quam postea 30. Missas celebrans ab inde liberauit.

Alijs autem uidebatur, quòd Purgatorium sit in aère uel aurea zona, in Satyrica autem historia cap. 220. part. 4. sub temporibus Otthonis 3. legitur, quòd Odilio Cluuiacensis abbas memoriam omnium defunctorum post festum omnium Sanctorum instituit occasione reuelationis cuiusdam religiosi, qui sibi reuelauit sibi dicens: Sunt nobis uicina loca, ex quibus flammæ euomunt incendia, ubi anime diuersa luunt pro demeritorum suorum tormentis, suntq; ibi inquit, infiniti demones, qui rediuias instanter instaurant pœnas, quos ego inquit, frequenter audiui, quæculis lamentationibus ciulant.

tes. Alij autem referunt, quòd cum quidam custos
 Ecclesiæ S. Petri ex deuotione in die omnium San-
 ctorum omnia altaria circuisset, extra se raptus ui-
 dit utriusq; sexus homines, alios in stratis aureis,
 alios immensis gaudijs, alios in diuersis delicijs, alios
 nudos, quibus nec spes, nec auxilium erat mendican-
 tes. Quam uisionem dicunt sibi Angelum exposuis-
 se, & dicentem: hunc locum Purgatorij esse, abun-
 dantes animas esse, quibus ab amicis subueniebatur,
 egentes uerò esse, quorum cura nullatenus habetur.
 Quidam iterum fabulantur de Purgatorio
 patricij, alij quod animæ quiescunt in die dominica,
 & quidam, quòd Papa concedit indulgentias pro
 spiritibus mortuorum, & infinita sunt talia men-
 dacia conficta, quæ possent colligi ex postillis au-
 rorum Sacerdotum per eosdem antiquitus prædi-
 catis, & in scripto relictis, Quæ omnia uelut fabu-
 læ carentes authoritate scripturæ, sunt à fidelibus
 deridendæ. Similia illis habet fundamenta sui Pur-
 gatorij Rokenzana, qui ostendens se fore de nume-
 ro talium fabulariorum oblitos Dei præcepti, quo
 prohibet quærere à mortuis ueritatem, Deuter. 8.
 Solennizauit sæpius coram toto auditorio senten-
 tiam Cyrilli ad Augustinum. Qui ut refert Euse-
 bius, cum fuisset tædiosus, et certitudine de existen-
 tia Purgatorij caruisset, dixit, quòd sibi apparuis-
 set beatus Hieronymus dicens: Quid turbaris? con-
 grega populum ut oret, & cum populus congrega-
 tus fuisset

tus fuisset, & orassent, apparuerunt tres mortui,
 & existentiam eis Purgatorij nunciauerunt. Ecce
 quale fundamentum Purgatorij, certitudinem eius
 uelle capere præter auctoritatem scripturæ ex te-
 stimonio mortuorum, testimonium hoc inualidum
 est, & diuino præcepto obuiat, quando aliquis per
 mortuos quærit certificari, de re aliqua occulta, ut
 quando uolenti libenter habere certitudinem de
 damnatione, uel prospero successu amici mortui, ap-
 paret alicubi in somnis anima ipsius dicens, se mul-
 ta pati incommoda, & ipse euigilans accedit Sacer-
 dotem, appetians eum ad celebrandum pro eo 30.
 Missas. Talis uideretur se habere certitudinem de
 tormentis animæ sui amici in somnis per mortuum,
 sed hoc Diabolus in futuram deceptionem multo-
 rum ex Dei permissione posset disponere, ideò ex
 talibus testimonium capere non est firmum, contra
 quod expressè inuehens Hieronymus in tertio libro
 contra Ruffinum sic scribit: Nec mihi ad subterfugi-
 endum mortuos aliquos nominis, ut cum authorem
 ostendere non potueris, illum proferas, qui non po-
 test respondere. Hæc ille.

RESPONSIO AD AVTHORITATES
 Doctorum, quos Rokenzana pro exi-
 stentia sui somniati Purgato-
 rij adducit.

CAPVT XXXVI.

Ex dictis

EX dictis patet, qualiter est respondendum ad
 Doctores, quos M. Ioan. Rokenzana pro exi-
 stentia talis Purgatorij somniati adducit, quod
 ubi scribunt, pro purgatione animarum supra funde-
 damentum quod est Christus, lignum, fœnum uel
 stipulam edificantium, intelligunt esse statum inter
 beatitudinem & locum meriti, diem uidelicet ex-
 tremi iudicij & ignem emundatorium ipsius, in quo
 reuelabitur illa dies, uel diem præsentis uite, &
 ignem præsentis probationis, in quibus animæ tali-
 um secundum Dei ordinationem et sententiam Do-
 ctorum in prima parte circa hoc adductorum pur-
 gabuntur. Quem sensum plures authoritates per
 præfatum M. Rokenzane adductæ etiam inculcant
 & prætendunt quibus pro eo, quod in uerbis Apo-
 stoli de ligno, fœno & stipula ueraciter fundatur
 est credendum, & eò magis in testimonium debent
 suscipi, quo ab aduersario allegantur. Nam magnam
 est illum habere testem, quem aduersarius sibi in
 testimonium adducit, sed ut longè aliter, quam ipse
 intelligit, sua cõportata intelligat, & sensus eorum
 dem etiam Doctorum contra se comperiat, nec semel
 per ubi Doctores nominant Purgatorium æstimet
 illud suum somnium eos intellexisse Purgatorium
 uel ubi nominant ignem purgantem animas post hanc
 uitam, lignum, fœnũ uel stipulam super fundamen-
 tum, quod est Christus edificantes, æstimet illum
 ignem Purgatorij somniati eos intellexisse, ut ergo
 proprium

proprio confodiatur iaculo, quod contra nos emisit, aliquot ex eius auctoritatibus in medium producemus. Allegat enim primò Augustinum in sermone de igne Purgatorij circa finem sic inquentem: Omnes sancti, qui Deo fideliter seruerunt, & lectioni & orationi uacare, & in bonis operibus perseuerare contendunt, nec capitalia crimina uel peccata minuta, sed bona opera facientes per ignem Purgatorij absq; ulla uiolatione transibunt. Illi uerò, qui quauis capitalia crimina admittant, & ad perpetranda minuta peccata sunt faciles, & ad redimenda sunt negligentes uitam eternam pro eo quòd Christo crediderunt, & capitalia peccata non admiserunt, uenturi sunt, sed prius aut in hoc seculo per Dei iustitiam uel misericordiã amarissimis sunt tribulationibus excoquendi, aut ipsi per multas elemosynas, & per multas orationes, & præcipuè dum inimicis clementer indulgent per misericordiam liberandi, aut certè illo igne longo tempore cruciandi sunt, ut ad uitam eternam sine macula perueniant, infra ille ignis Purgatorij durior est, quàm quicquid poenarum, quæ aut uideri, aut cogitari, aut sentiri potest. Nemo ergò dicat ad me non pertinet, quàm diu in eo moras habeam, tantum ut ad uitam exeam, cum de die iudicij scriptum sit, quod erit dies unus tanquàm mille anni, & mille anni tanquàm annus unus. Vnde scit unusquisq; nostrum, quot diebus, aut quot mensibus, aut fortè etiam annis per

nis per ignem illum sit transiturus, & qui modò nec
 unum digitum suum uult in ignem mittere, quare
 non timeat, ne ei necesse sit tunc tanto tempore cum
 corpore & anima cruciari, & ideo totis uiribus
 unusquisq; laboret, ut capitalia crimina possit eui-
 dere, & minuta peccata ita bonis operibus redime-
 re, ut ex ipsis nihil uideatur permanere, quod ignis
 ille possit consumere. Hæc ille. In quibus uerbis
 beatus Augustinus per aduersarium allegatus, tria
 ualdè notabilia elucidat. Primo, quòd illi, qui pec-
 cata capitalia non admittentes ad perpetranda
 minuta peccata sunt faciles, & ad redimenda ne-
 gligentes, ad uitam æternam sunt uenturi, sed prius
 aut in hoc sæculo per pia opera & tribulationes
 sunt exercendi, aut post mortem illo igne longo
 tempore cruciandi. Ne autem ibi quis sic intelle-
 gat Augustinum, quòd quemadmodum ipsum Ma-
 gister Ioannes Rokenzana intelligit. Secundo,
 in uerbis præmissis seipsum exponit, quòd per illum
 ignem, quo longo tempore quidam ex talibus post
 mortem sunt cruciandi, non intelligit ignem illius
 somniati Purgatorij, nec tempus illud inter mor-
 tem hominis & ultimam resurrectionem interpo-
 situm, pro quo Rokenzana ipsum adducit, sed tem-
 pus iudicij extremi, & ignem emundatorium ipsi-
 us. Ideò Augustinus præmittens ignis Purgatorij
 acerbitatē, quid intelligat per illum ignem, & lon-
 gum tempus illius cruciatus subdit, cum de die iudi-
 cij scri-

scriptum sit, quod erit dies unus tanquam mille
 anni, & mille anni tanquam dies unus. Si enim non
 intelligeret de tempore iudicij et de igne, qui in ipso
 uel cum ipso reuelabitur, nunquam in consequenti-
 bus diceret, quod necesse erit tunc eos cum corpore
 & anima puniri, cum in Purgatorio somniato solum
 cruciarentur in anima, nec etiam in principio eius-
 dem authoritatis diceret, quod bona opera facientes
 & nec capitalia crimina, nec minuta peccata admit-
 tentes, per ignem Purgatorium absq; ulla uiolatione
 transibunt. Cum etiã secundum aduersarium aurũ,
 argentum, & lapides pretiosos super fundamentum
 quod est Christus, edificantes nõ ingrediuntur Pur-
 gatorium Rokenzana, licet per ignem cõflagratio-
 nis sine lesione transeant, ut in prima parte ex au-
 thoritatibus ostensum est. Et tertio in eadem autho-
 ritate August. hortatur, ut in præsentis sic uiuat, ne
 post hanc aliqua purgatione indigeat. Secundo M.
 Ioan. Rok. allegat pro Purgatorio suo somniato au-
 thoritatem Cassiodori supra Psal. 60. Domine ne in
 furore tuo arguas me, allegantis supra illo Aug. Ser-
 mon. 63. sed quod Aug. quem adducit de igne purga-
 tionis animarũ edificantiũ supra fundamentũ, quod
 est Christus, lignũ, fcenum uel stipulã, non intelligãt
 ignẽ Purgatorij illius somniati, sed ignẽ extremi iu-
 dicij, planius exprimit ipsemet August. in loco super
 eodem uerbo Psal. in 1. parte allegatus sic scribens:
 Arguuntur in die iudicij oēs, qui non habent funda-
 mentum,

mentum, quod est Christus, emundantur, id est purgantur, quæ huic fundamento super ædificant, lignum, fœnum & stipulam. Detrimentum enim patientur, sed salui erunt tamen per ignem. Hæc ille.

Istæ duæ authoritates supra dictæ, quas Rokenzanus pro se allegat, non pro eo militant, sed pro nobis. Benedictus igitur sit Dominus, qui os aduersarij uelut consilium Achitophel insatuauit, & sensum incuruauit, ut cõtra se ipsum pro nobis planè agendo concluderet, & contra suam intentionem propriam pro benedicta ueritate nostræ causæ adaptaret, & secundum hoc possunt & aliæ authoritates plures per eum allegatæ, licet de igne Purgatorij post hanc uitam faciant mentionem, intelligi, quod loquuntur ad hunc sensum, & specialiter ille eiusdem August. prima, quæ per eum allegatur supra Psal. 37. sic incipiens: ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Secundo illa in Omel. 16. in fine, quæ incipit: Hi qui temporalibus pœnis digna fecerunt. Tertio illa in libro de uera & falsa pœnitentia, cap. 18. quæ incipit: Sed si etiam conuersurus uiuat uita & non moriatur. Quarto illa Ambrosij super Beati immutculati, super illo, uide humilitatem meam, quæ sic incipit: Nemo sibi arroget. Quinto illa Origenis in profundum. Sexto illa eiusdem Orig. Omel. 24. supra librum Numeri, loquens de ciuitatibus refugij, quæ omnes possunt ad hunc sensum prædicantur retorque-

retorqueri & saluari. Aliquæ autem authoritates ex his, quas pro existentia sui Purgatorij Rokenzana adducit, nihil faciunt pro igne talis Purgatorij, quarum una est Orig. Omel. 12. super Ieremia, super illo uerbo: Ecce ego mittam piscatores multos, illa autem authoritas eius nõ dicit, quod lignum, fœnum uel stipula, igne Purgatorij somniati cõsumerentur, sed dicit, quòd Deus ignis consumens est, nõ proprias creaturas, sed super edificata lignum, fœnum & stipulam. Alia est eiusdem Orig. Omel. 24. super Numero tractans illud de mansionib. filiorum Israël, quæ simpliciter nihil facit pro Purgatorio, nec illa glossa ordinaria super textu illo 2. Petri 1. Nouit Dominus suos de tentatione eripere, Iniquos uerò in diem iudicij reseruare cruciandos. Quia illa non est pro illis, quos dicit intrare Purgatorium tale, sed pro damnandis, & ibi uereri deberet Magister in Israël Rokenzana, quando audet pro illo adducere scripturas, ad quod minimè sonāt, & per hoc legentes scripta illius, & nostra iuxta ponentes responsa patule cognoscere possunt, nihil M. Ioan. Rok. per grauem eius labyrinthum pro existentia Purgatorij somniati effecisse, cum Doctores cõmuniter & plures etiam quos ipse adducit uerè fundantes se in scriptura exprimunt, alium locum & tempus aliud litum, quod est Christus, lignum, fœnum uel stipulant edificantium, quem Rok. sibi fingit, et plures autho-

ritates sancte essent pensandæ. Quia nihil faciunt
 pro Purgatorio somniato, si originalia haberemus
 præ manibus, unde eas trahit, appareret sensus alius
 in multis quam ipse pro se trahit, nihilominus tamē
 si qui sint Doctores, quos Roken. pro existentia talis
 loci Purgatorij, quod ipse præ tendit, adducit, qui
 quod absit sic sapiunt, quemadmodum ipse eas intel-
 ligit, quia ut sic carent fundamento scripturæ. Nec
 possunt ad sensum Apostoli de ligno, fœno, uel stipu-
 la, de uirtute sermonis uerificari, ut patuit superius,
 idcō in hoc suscipiendi non sunt, quia superius osen-
 sum est ex autoritatibus sanctorum, quod dicta
 sanctorum Doctorem post Apostolos non sunt ac-
 ceptanda ad autoritatem Ecclesiasticorum dogma-
 tum, nec argumentum nude captum à testimonio
 eorum est sufficiens, quin liceat ipsis sentire opposi-
 tū, quia B. Aug. in prologo lib. 3. de trinitate, et po-
 nitur dist. 9. Negare. sic scribit: Negare non possum,
 nec deo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in
 tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio
 et nulla temeritate culpari. Hæc ille. Idem in episto-
 la ad Fortunatum, et ponitur eadem distinctione.

Neq; sic scribit: Neq; quorumlibet disputationes
 quamuis catholicorum et laudatorum hominum
 uelut scripturas Canonicas habere debemus, ut non
 liceat nobis salua honorificentia, quæ illis debetur
 hominibus aliquid in eorum scriptis improbare atq;
 respuere, si sermō inuenerimus, quod aliter senser-
 unt.

rint, quam ueritas habet diuino adiutorio, uel à nobis intellecta, uel ab alijs. Talis ego sum in scripturis aliorum, quales uolo esse intellectores meorū, idem ad Vincentium eadem distinct.

Noli frater, est pro eodem, & idem in libro primo de Trinitate, de se ipso dicit: Non piget me, inquit, sicubi hæsito querere, nec pigebit, sicubi erro, differere. Quisquis ergò hoc audit et legit ubi pariter certus est, pergat mecum ubi pariter hæsitat, querat mecum, ubi errorem suum cognoscit, redat ad me, ubi meum, reuocet me. Ista ingrediuntur simul charitatis uiam tendentes ad eum, de quo dictum est: Querite faciem eius semper. Pro eodem est & Ambrosius super Beati immaculati libro 14. sic scribens: Nulli credas tantum nisi præcunte lucernæ istius luce processum, & ubi putas, quod lucet is, uidetur lucere, sed polluit, & ubi putas solidum esse uel siccum, ibi lubricum est, si lucerna ibi longius sit. Sit ergò tibi fides itimeris in præuid, sit tibi iter scriptura diuina: Bonus est coelestis ductus eloquij. Ex hac lucerna accende, & tu lucerem ut luceat interior oculus tuus, qui lucerna est corporis tui. Hæc ille.

Ex quibus autoritatibus ostenditur, quòd in opusculis tractatorum seu expositorum, multa corrigenda inueniuntur, & quod licet oppositum sentire Doctoribus, si aliter senserint, quàm ueritas habet, & nò imitari eos, nisi sequantur lucernæ scripturæ

diuinæ, nec doctores omnia scribunt assertiuè. Hinc est, quod Hieronymus in libro ad Pamachium scribit: Commentatorij quid operis habet, alterius dicta edisserunt, quæ obscure dicta sunt, plano sermone manifestant, multorum sententias replicant, & dicunt hunc locum quidam edisserunt, alij sic interpretantur, alij sensum falsum, & intelligentijs huius testimonijs, & hac nituntur ratione firmare, ut prudens lector, cum diuersas explanationes legerit & multorum uel probanda didicerit, iudicet quis uerior sit. Hæc ille.

Et idem pro eodem scribit in epistola ad Augustinum: Si cui sensus iste non placet, quomodo nec Petrus peccasse, nec Paulus ostenditur arguisse maiorem debet ostendere, qua consequentia Paulus in altero reprehendendi, quod ipse commisit. Ex quo ostendi, me non ex definito id defendere, quod in Græcis legeram, sed ea quæ legeram expressisse, ut lectoris arbitrio derelinquerem, utrum probanda essent an improbanda. Hæc ille. & per consequens dicta dictorum sunt benè probanda, si habuerint ueritatem uel non. Quia Hieronymus ad Minertium & Alexandrum de resurrectione scribit: Negi enim tanta est meæ pusillanimitatis autoritas, quæ nihil sum, & inuidorum tantum morsibus patet, quanto eorum, qui nos in Domino præcesserunt, nec iuxta Pythagoræ discipulos præiudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est, si quis

quis autem contrariè fauoris murmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmati non acquiesco, scias me illud Apostoli libenter audire: omnia probate & quod iustum est tenete, & Saluatoris uerba dicentis: Estote probati nummularij ut si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus moneta publica, reprobetur. Qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupio recondatur. Hec ille.

Idem pro eodem est in epistola ad Tranquillum. Ex parte ergò Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, & Nouatum, & Arnodum, & Apollinarem, & nonnullos Ecclesiasticos scriptores Græcos pariter & Latinos, ut bona illorum eligamus, uitemus contraria, ceterum uel qui in amorem eius nimium uel in odium stomachati prauitate ducuntur, uidentur mihi illi prophetico maledicto subiacere, uel eis, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, amarum dulce, & dulce amarum. Neq; enim propter doctrinam eius praua sunt suscipienda dogmata, nec propter dogmatum prauitatem, si quis commentarios in scripturas sanctas edidit utiles, penitus respiciendi sunt, quòd si contentiosum inter se amatores eius obtrectatores finem duxerint, nihil mediū appetunt, nec seruent modum, sed totum aut probent aut reprobent, libentius piam rusticitatē, quàm doctam blasphemiam eligam. Hec ille.

Ex istis omnibus prudens lector elicere potuit,
 quòd dicta Doctorum non simpliciter suscipienda
 sunt, quia illi hoc uel illud dicunt, nisi in quantum
 fundauerint se in scriptura, & non sine causa istas
 authoritates eò diffusius inseruimus, sed ista de
 causa, ut si aliquando contingit non suscipere au-
 thoritates Doctorum, ubi & de quanto non se ue-
 re & directè fundauerint in lege expressa Domi-
 ni nostri IESU CHRISTI, iudicemur non in
 eorum contemptum facere, sed intentionem & uo-
 luntatem eorum implere. Ex quibus ulterius
 obijcitur: Quoniam improvidè quidam conque-
 rescunt in Doctoribus citra authores scripture, tan-
 quàm in arbitris & mediatoribus, & omnium
 dissensionum complanatoribus, cum Christum iudi-
 cem, cui Pater dedit omne iudicium, & Apostolos
 dedit coniudicatos omnes tribus Israël. In cu-
 ius comparatione omnes Doctores post Apostolos
 quantumcunq; sancti quoad authoritatem ex ipsis
 capiendam absorbuntur, & tamen scriptis suis per
 legem, & non lex per eos iudicabuntur. In cuius
 rei signum beatus Augustinus super illo Psal. 140.
 Absorpti sunt iuxta petram iudices eorum, in-
 scribit: Petra, inquit, erat CHRISTVS, iuxta
 quem comparati ipsi iudices magis potentes &
 docti absorpti sunt, dixit de moribus uel quantum-
 cunque sententiam Aristotelis: Adiunge illum pe-
 trā

tra, & absorptus est. Quis est Aristoteles? auditur, Christus dixit & apud inferos contremiscit. Dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato, adiunge illos Petre, compara auctoritatem eorum auctoritati Evangelicæ, compara inflatos crucifixo & absorpti sunt. Hec ille.

Et sic intelligitur dictum eiusdem Augustini secundo super Genesim, ad literam humanam capacitas. Hec ille, & Beda super illo Exod. 21. capit. Si rixati fuerint uiri, & percusserit quis pregnantem mulierem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa uixerit, subiacebit damno, quantum maritus expetierit mulieris, & arbitri iudicauerunt, sic scribit percussor. Igitur secundum mariti mulieris, & arbitratorum estimationem subiacet damno, quoniam secundum Dei, (qui animæ est maritus) & Apostolorum sententiam, hic talis iudicabitur. Hec ille.

Et sic patet, quid dicendum est ad omnia grauius & diffuse comportata per Magistrum Ioannem Rokenzanam, pro existentia somniati loci Purgatorij post hanc uitam, quia nihil efficiunt ad suum propositum, nec illud fundamentum, quod substernere conatur scripturis suis dictum, uidelicet Apostoli de ligno, fœno & stipula, ad suum propositum deseruit.

NULLA SCRIPTURA, QVAM PRO
 existentia somniati purgatorij post
 hanc uitam Magistri allega-
 re consueuerunt, eo-
 rum seruit pro-
 posito.

CAPVT XXXVII.

Ostenso, quòd locus Purgatorij post hanc ui-
 tam ad sensum Rokenzana non uerè fundat-
 tur in illo uerbo Apostoli 1. Corinth. 3. de
 ligno, fœno & stipula, iam restat ostendere, quòd
 nec dictus locus Purgatorij uerè fundatur in locis
 alijs scripturæ, quæ pro ipsius fundamento Roken-
 zana, cum sibi adherentibus consueuerunt allega-
 re. Allegant enim pro suo dicto Purgatorio illud
 uerbum Apostoli 1. Cor. 15. Alioquin quid faciunt,
 qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non
 resurgunt. Vt quid baptizamur pro illis, ubi per ba-
 ptizationem inquirunt, intelligit Apostol. quandam
 purgationē seu mundificationē Sacerdotū et aliorū
 fidelium per eleemosynarū & orationū deuotionē
 pro ipsis defunctis, sed illa scriptura nō est pro illo,
 sed ibi. Apost. reprehendit aliquos, qui nō credebant
 resurrectionē. Quia erant quidā apud Corinthum,
 qui nō credebant resurrectionē, erant alij qui crede-
 bant illos resurrecturos, qui baptizati moriebantur.
 Crede-

Credebant autem non resurgere uel malè resurgere illos, qui sine baptismo moriebantur, propter quod, si quis istorum propinquus sine baptismo gratia migrasset à mundo, unus alius in nomine ipsius baptizabatur, putantes, quòd mortuo baptismus uiui prodesset, quod factum ibi commemorat Apostolus non ut approbet, quod ille baptismus aliquid prodesset mortuo, sed ut eius exemplo non credentibus resurrectionem suadeat & ostendat. Quia si illi resurrectionem non crederent, nequaquam uiuos pro mortuis baptizarent. Hæc est sententia illius prædicti textus Apostoli Lyræ, Remigij, Gorreæ, & aliorum communiter hunc textum postullantium. Vereri ergò deberent Magistri in Israel, de tali falsificatione uerborum Apostoli, quando allegant ea præter intentionem docentis ad hoc, ad quod nõ sunt dicta. Allegant insuper pro illo suo purgatorio, & illud ueritatis dictum, quò Mat. 12. dixit Christus: Qui autem dixerit uerbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Ex quibus uerbis inquit, patet, quod in futuro aliquod peccatum dimittitur, & aliquod nõ. Si non dimittitur in inferno, neq; in paradyso habet locum dimissio peccatorum. Quare inquit, sequitur, quod est aliquis locus purgatorij, per quem poena in futuro remittitur. Quia quod de una negatur consequens intellectus patet, quod de quibusdam conceditur. Et hanc dicunt sententiam B.

Gregorij in libro dialogorum, sed negandum est, quod Gregorius ex textu Euangelij allegati ratiocinando, & uia humana secundum artem logicæ argumentando à contrario sensu & modo indirecto elicit quasdam pœnas in futuro remitti, sed notum est apud Theologos, quod scriptura regulis Grammaticæ siue logicæ necessariò non subiacet. Quare meritò Marcus Euang. eodem spiritu & sensu, quo Matth. de eadem materia non sic argumentando, ut Gregorius, sed simpliciter inquiens: Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Neque Lucas sic argumentatur, sed simpliciter dicit: Et autem, qui in Spiritum S. blasphemauerit, non remittetur. Quomodo ergò uerè fundabiliter dictum Gregorij in præfato textu, cum & argumentum à contrario, non in tantum ualidum habeatur, quod instantia non inueniatur. Quia ubi determinatio posita in iure refertur ad factum, non ualet argumentum à contrario sensu, uidelicet expressè Extraneus de Magist. prohibeas super isto: Gratis accepistis, gratis date, non tantum ualet à contrario, non gratis accepistis, nõ gratis date. Et de usura, quãdò ubi prohibetur Iudæis ne immoderatas usuras exigant à Christianis. Ergò conceditur à contrario, quod immoderatas exigere possunt, Non, imò nec minimas, ut ibi per doctores.

Probatio ergò purgatorij per tale argumentum à con-

& contrario non est formalis, nec sufficiens, & dato
 non autem concessio, quod aliqua peccata in tali pur-
 gatorio remittantur, tunc non uidetur quod ibi lo-
 cum habeat remissio, ubi oportet eum qui tenetur, pœ-
 nas luere & persolvere debitum, ibi autem uera remissio
 inuenitur, quando homo liber dimittitur sine damno
 solutiōis, qualiter Christus remisit illo seruo, de quo
 Mat. 18. Petenti omne debitum, & cum hoc liberum à so-
 lutione dimisit eum, uel hoc dictum Gregorij adhuc sal-
 uari potest ad hunc sensum, quod pœna purgatorij re-
 manet post hanc uitam, ad sensum doctorum in precedē-
 ti cap. huius partis adductorum, qui ponunt, quod ani-
 mæ saluandorum supra fundamentum quod est Christus,
 uel lignum, scenum, uel stipulam edificantium, purgabuntur
 per ignem extremi iudicij emundatiuum, & per conse-
 quens hoc dictum Gregorij Rokenzana propositum non
 confirmat, nec predictum Christi uerbum suo sensui in
 aliquo seruit. Allegant pro eodem purgatorio &
 illud Christi dictum Matt. 5. Esto consentiens aduersario
 tuo cito, cum es cum eo in uia, ne forte tradat te aduer-
 sarius iudici, & iudex tradat te ministro & in carce-
 rem mittaris. Amen dici tibi non exibis inde donec
 reddas minutissimum quadrantem, scripturam dicunt debe-
 re intelligi de purgatorio, cum per carcerem ibi, inquit,
 non possit intelligi infernus. Quia de illo non est redēp-
 tio & dicunt, per carcerem ibi debere intelligi purga-
 torium, de quo post redditionem fit egressus, sed respo-
 dendum est ad hoc quod obiectio non procedit, cum per car-
 cercem

cerem ibi intelligitur infernus, non autem purgato-
 riū, quia donec ibi secundum Lyrā & expositores
 excludit tempus præcedens & sequens simul, & su-
 mitur pro semper, ut sit sensus: non exibis inde, do-
 nec reddas, id est, semper non exibis, hoc est nunq̄
 exibis. Quia de inferno non est possibilis redemptio
 iuxta illud Psalmi: mutuabitur peccator & non sol-
 uet. Sic donec accipitur & in illo Psalmo ubi de
 Christo dicitur: Sede à dextris meis, donec ponam
 inimicos tuos, &c. Non est intelligendum, quòd
 quando inimici Christi erunt positi sub pedibus tem-
 pore iudicij, quòd tunc designat sedere in dextera
 patris, imò æternaliter sedebit. Sic & illud Matt. 1.
 est intelligendum, & non cognoscebat eam, donec
 peperit filium, id est, nunquam cognoscebat eam.
 Decipiuntur ergò ibi Magistri in equiuocatione
 istius termini donec, equiuocatio est mater erroris.
 Quia donec aliquando excludit tempus præcedens
 & aliquando sequens, & aliquando utrumq̄, ut hit-
 secundum quod communiter doctores exponunt &
 distinguunt, & insuper cum per aduersarium in di-
 cto Christi uerbo cui debemus consentire, dum cum
 eo sumus in uia, non debemus intelligere mundum
 uel diabolum, sed legem Dei, quæ contraria est no-
 stris carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus a-
 nimam, 1. Petri 2. uidetur, si hæc scriptura dicta in-
 telligeretur de purgatorio, sequeretur quod trans-
 gressores legis uenirent illic, cuius oppositum tenet
 aduer-

aduersarius, quod purgatorium suum non ingredi-
untur, nisi cum peccatis minimis & uenialibus. Ce-
terum allegant pro eodem purgatorio illud dictum
Apostoli Philip. 2. Quò dicit: in nomine Iesu, omne
genua flectatur coelestium, terrestrium & inferno-
rum, quod Origenes mysticando Archam Noe tri-
cameratam mysticat. pro tripartitione Ecclesie u-
tilis, Omel. 2. super Genesin, inueniens enim inferi-
ora ipsa esse, quæ Apostolus dixit infirma. Horum
autem contigua superiora, tricamerata uero supe-
riora, quæ dicit omnia simul esse coelestia, sed in his
merita eorum distingui, qui possunt secundum Apo-
stolum Paulum, usq; ad tertium cœlum conscende-
re. Hæc ille. Ex cuius dicto Rok. argumentatur,
dicens: Planum siquidem est, quod quamuis dæmo-
nes in inferno positi, credunt & contremiscunt, non
tamen genua in nomine Iesu humiliare possunt, in-
ueritate Christum colere & adorare. Quia aliàs se
hæc facerent amorosè in nomine Iesu genua flecten-
do exaudirentur, teste Salvatore qui dicit: Si quid
petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, quæ
tamen genua flexio cultus Christi & adoratio non in-
damnatis diaboli in inferno locatis, sed magis in e-
lestis in purgatorio repositis, reperitur. Hæc Roken-
zana. Sed non uide tur ille sensus Origenis, quem
Rokenz pro suo elicit purgatorio, sed iste uidetur
uerior huius dicti sui sensus, quem ipsemet in eadem
Omelia exprimit dicens: Confertur ergò populus
hic

hic, qui saluatur in Ecclesia illis omnibus siue hominibus siue animalibus, quæ saluata sunt in Arca. necrum quoniam non est omnium unum meritum, nec unus in fide profectus, idcirco & Arca illa non unam præbuit omnibus mansionem, sed tricamerata sunt inferiora, & tricamerata superiora, & nisi distinguuntur in ea, ut ostendat. Quia & in Ecclesia licet omnes unam fidem contineantur, atq; uno baptisinate diluantur, non tamen unus omnibus atq; idem profectus est, sed unusquisq; in suo ordine. Hi quidem per ratiocinabilem scientiam uiuunt & idonei sunt, non solum semetipsos regere, sed alios docere, quoniam ualde pauci inueniuntur. Paucorum qui cum ipso Noe saluantur, & proxima ei propinquare iunguntur, figuram tenent. Sicut & Dominus noster IESVS CHRISTVS uerus Noe paucos habet proximos, paucos filios & propinquos, qui fidei eius participes sunt & sapientiæ capaces, & hi sunt, qui in summo gradu positi sunt, & in summitate arcæ Noe collocantur.

Ceterum multitudo irrationabilium animalium, uel etiam bestiarum in inferioribus locis habetur & eorum maxime, quorum ueritatis sententiam, nec fidei dulcedo molliuit, superiores uero aliquantulo ab illis sunt, qui licet minus ratiocustodiant, & sic per singulos habitationum gradus ascenditur, peruenitur ad ipsum Noe, qui interpretatur

pretatur requies uel iustus, qui est CHRISTVS
Iesus. Hec ille.

Ex cuius uerbis potest patere sensus uerborum
Apostoli, quid intelligat per genuflexionem infer-
norum, illos malos in Ecclesia militante & infimos,
qui tamen per susceptionem fidei quam diu in Ec-
clesia sunt, subiiciuntur nomini Iesu, in nomine eius
genuflectentes. Sensus etiam, illi allegorici uel my-
stici nihil probant, cum literales sensus secundum
principia Augustini habet summam auctoritatem,
nisi de quâto fundantur in sensu primo et autêtico.
Quia aliter quilibet posset moralizare uel trahere
auctoritatem scripturæ ad sensum, quem habere uel-
let ad hoc pro purgatorij sui existentia Magistri al-
legant illud Actorum 9. de Tabita per B. Petrum re-
suscitata. Ex quo arguunt ipsam esse in aliquo cer-
to loco, & dicunt animam eius non esse in para-
diso nec in inferno. Ergo concludunt, quod fuit
in purgatorio. Sed potest ad hoc responderi, quod
non est fides hæc credenda, sed est sensus Magistro-
rum & opinio, qui sciunt habere apparenter ex
scripturis & modo logico de uero falsum, & de fal-
so uerum, apparenter coram simplicibus facere, ut
si anima Tabitæ post mortem non sit in inferno nec
in paradiso. Quod ergo necessario ad hoc conclu-
datur, ipsam fuisse in purgatorio, sed hoc sequi pos-
set, si diceretur uerè ex scriptura, quod nullus alius
locus animarū esset post mortem, præter coelū & in-
fernū.

fernum uel purgatorium magistrorum, sed quon-
dam antiqui Christiani loquentes de animabus post
mortem & exitum earum de corpore, nec dicebant
eas statim intrare coelum, nec etiam purgatorium,
sed dicebant eas esse in quibusdam abditis locis &
latis regionibus, cum Christo corporum resurre-
ctionem expectantes, uidelicet in prima parte huius ex-
authoritatibus Augustini, Origenis, Chrysostomi
& Petri Apostoli, ideò non stat fundamentum pur-
gatorij in phantasia, quam trahunt à Tabita Magi-
stri. Quod & ex isto potest ostendi, Quia si secun-
dum aduersarium, qui edificant supra fundamen-
tum, quod est Christus, aurum, argentum & lapides
preciosos, id est, plena opera bona non intrant pur-
gatorium, sed solum illi, qui super eodem fundamen-
to edificant lignum, fœnum & stipulam, id est, mi-
nima peccata, tunc hoc non potest uerificari de Ta-
bita, de qua dicitur, quæ erat plena operibus bonis,
elemosynis, quas faciebat, & per consequens, non
est credendum animam Tabitæ post mortem fuisse
in purgatorio magistrorum.

ORATIO, QUAM DOCENT MAGI-
stri debere fieri pro defunctis, carer
fundamento scripture.

C A P V T XXXVIII.

Adhuc

A Dhuc Magistri existentiam purgatorij sui somnati conantur fundare in orationibus pro animabus fiendis defunctorum, dicentes illas orationes à uiantibus ex triplici specialiter testimonio fieri debere pro animabus earundem.

Primò ex illo Macchabæorum 12. de Iuda Macchabæo, qui facta collatione 12. milia drachmas argenti misit Hierosolymam, &c. Concludens, quod sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis saluantur.

Secundò ex illo Clementis, quæ in epistola ad Iacobum fratrem Domini inter cetera de beato Petro scribit: quòd ipse diligenter præcepisset pro mortuis orare, & elemosynas dare.

Et tertio ex illo Dionisij, in de Ecclesiastica hierarchia cap. 7. dicentis: Quòd Hierarchia orationem sanctam faciebat super eum, qui dormiuit deprecans Hierarchicam bonitatem, ut dimittat ei qui dormiuit omnia, quæ per humanam infirmitatem peccauit. Ex quibus Magistri illud eliciunt, quod ex quo Iudas Machabeus & isti discipuli Apostolorum loquuntur de orationibus fiendis pro defunctis. Si purgatorium post hanc uitam non esset, illæ orationes nihil prodesse pro animabus, Quia in cælis sancti orationibus uiantium non egent. In inferno uerò positi, nullam iam redemptionem potiuntur, sed qui diligenter & fideliter ista uult aduertere, cognoscat, quod ex dictis testimonijs Magistri non
 ○
 possunt

possunt stabilire suum propositum purgatorum somnium. Ex illo enim secundo Macchabæorum de Iuda non probatur, quod nunc pro tempore legis gratiæ, orationes necessario debeant fieri à uiuantibus pro animabus defunctorum. Nam secundum Bartholomæum Brixiensem super 16. dist. can. libri Macchabæorum apocryphi dicuntur, nec habentur in Canone Hebræorum, in quibus, quamuis inueniantur utilia, non tamen obligantur omnia in eis contenta acceptare, & per consequens, non est sufficiens, non est sufficiens probatio ex illis, sed ut propius ad propositum accedamus, quis dubitat quin Deus pater suum unigenitum filium dedit in fœdus populi in lucem gentium, ut deduceret de conclusione uinctos, de domo carceris sedentes in tenebris, Esai. 42. id est, secundum doctorem de Lyra, patres de Lyra bo, qui ibi detinebantur sicut in carcere, et caruerunt claritate diuinæ uisionis, quæ ante incarnationem in Lyra bo existentes, ut à debito culpæ et pœna originali, pro qua ibi detinebantur soluerentur, cognoscetes has eius promissiones esse factas, eorum miserabilibus clamoribus, caelos infestabant, dicentes: Domine mitte, quæ missurus es, uide afflictionem populi tui, sicut locutus es, Domine & libera nos, &c. ut de isto plena est scriptura prophetarum & Christus Lu. 10. hoc manifestat, quando dicit: Dico uobis, quia multi Prophetæ uoluerunt uidere, quæ uos uidetis, & audire quæ uos auditis, et non audierunt, unde ad designandum istud sacrificium scilicet

scilicet Christi incarnationem, & per ipsum omnium liberationem fiendam omnia sacrificia legis ordinabantur & fiebant, uidelicet ex decursu ueteris testamenti & specialiter, Esa. 19. Et colent eum in hostijs & munerib. & uota uocabunt Domino & soluent. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem & propugnatorem, qui liberet eos. Quare ergò non simili modo intelligemus de oblatione iudæ pro defunctis, ut à peccatis saluarentur, quòd uidelicet tunc secundum illum morem loquebantur, quod non debet nunc in consequentiam trahi tempore legis gratia post destructionem per Christum loci illius, qui tempore Machabeorum ad hoc animas recipiebat, & per consequens, hoc dictum iudæ Machabeæi Rokenz. proposito, iam restat examinare dictum Clementis de Petro, qui dicit ipsum diligenter præcipere orare pro defunctis, & eleemosynas dare. Vbi istud circa hoc præmittimus, quod nulli debet uerti in dubium, quin quicquid beatus Petrus ex Euangelio fideles docuit, cum ille à Christo erat missus, & hoc uerum est, cui à nullo est contradicendum. Et hinc sicut nullum tale dictum beati Petri, cum quo Deus ipsum misit, est abiiciendum, sic nec quodlibet dictum sub nomine eius inductum, in Euangelio non expressum, pro uero est suscipiendum propter librorum per malos corruptionem. Quia sciens Apostolus, quòd Pseudo sub nomine Apostolorum quibusdam

busdam ueris per eos dictis sua inferebat, hortaba-
 tur Thessalonicenses, ne citò mouerentur à uero
 sensu per epistolam tanquam per Apostolos missam,
 dans per hoc intelligere, quod nec nunc nos leuiter
 debemus suscipere omnia scripta, quæ sub nomine
 alicuius offerrentur Apostoli, & specialiter si non
 fuerimus benè certificati, quod ille Apostolus huius
 existens talia docuisset, & si tunc ob causam hanc
 necessum erat omnia probare, quanto magis nunc
 quando iam homines peruersi ad suam uoluntatem
 scripturas tractant, quærentes per illas sua inopi-
 nata infundabilia stabilire, non est eis leuiter cre-
 dendum, nisi certitudo eorum ex fide sit ostensa. Sic
 & hoc dictum Clementis de B. Petro, ex quo in
 Canonicis scriptis, illa doctrina non inuenitur, quod
 ipse præcipiat orare pro mortuis est benè trutinan-
 dum. Vnde attendentes scripta Canonica B. Petri
 non uidemus, quod ipse docuisset fideles sic debere
 esse sollicitos pro spiritibus mortuorum, Sed ipsi
 certum est, quod ipse homines uiantes ad perfectio-
 nem uitæ inducebat, ut patet 2. Pet. 1. quando
 scribit: Satagite, ut per bona opera certam ues-
 tationem & electionem faciatis. Hoc enim abun-
 danter ministrabitur uobis introitus in regnum celo-
 rum, æternum diem Domini nostri Iesu Christi &
 saluatoris, & 2. Petri 3. capite. Præmittens terri-
 bile iudicium Dei, quod in igne reuelatum erit
 tertio

terram & coelum, subdit, nouos uero coelos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus. in quibus iustitia habitat, propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati & inuiolati inueniri in pace, & multe alie scripturae sunt ad hoc. Et ista specialiter cum præmissis, ubi sapiens Eccl. 14. suadet, ante mortem benefac & ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est ad inferos inuenire cibos, ex istis potest uideri, qualiter sancti alloquebantur uiantes, ut ipsi per bona opera certam faciant uocationem suam & electionem, ut non peccent, & abundanter detur eis introitus in uitam æternam, & ut ante mortem iustitiam operentur, ita hic in præsentem existentes dispositi, ut ibi statim pro bonis operibus eis retribuatur, & non apparet ex scriptis Petri, quod ille pro ullo sit sollicitus, ut post mortem eorum aliquis pro eis bona faciat. Si ergo istis scripturis Petri debemus credere, non est certum, cum hoc non sit expressum in scriptis, quod ipse diligenter præcipiat orare pro mortuis & pro ipsis elemosynas dare. Quia cum scriptum sit apud inferos non est inuenire cibum, non uidetur, quod cibus tam abundans orationum elemosynarum, ieiuniorum destinaretur in purgatorium, quando pro existentibus in illo, ut fingitur, sic deberent orare, ieiunare, missas legere, & uigilias cantare, & per consequens non uidetur, quod Petrus uiam salutis ostendat mortuis, in merito uiantum

tium, unde si animæ aliquæ per multos annos purgatorio, quibus, ut à Magistris fingitur, uiantes propter uinculum charitatis & Spiritus debent ieiunijs, orationibus, eleemosynis & sanctis oblationibus suffragari, uidetur, quod uiantes illa opera diligenter pro spiritibus mortuorum continuè facientes, non haberent liberum locum & tempus, bona opera pro se faciendi, & sic actus merendi transferretur, ut hominem, quando iam posset mereri, nec aliquid fructuosè laborare, & post consequens, uiui ut sic nunquam haberent spem ex operibus proprijs, nec opera sequerentur illis, sed prædecessores eorum haberent spem ex operibus ipsorum, & ipsi morientes iterum expectarent opera filiorum, & sic consequenter.

Et hæc uidetur mirabilis doctrina Magistrorum, docere iuuenes, ut suis bonis operibus suffragentur pro mortuis, ipsos de purgatorio liberantes, & cum illo adhuc simile malum addunt nunciare, de quo illos liberat, quando addunt: Facite bona pro mortuis, ut uestri superstitibus adem faciant pro uobis, nec ponunt hominibus talibus aliquam mensuram, ut aliquod bonum semel aut aliquotiens, uel ad certum tempus faciant pro mortuis, sed semper & continuè usq; ad mortem earum, & ad hoc eos hortantur, ut quamdiu uiuunt hoc pro mortuis faciant, abijcientes, quæ

ijsdem post mortem ab alijs indigebitis, ex quibus
evidenter simplicibus datur intelligi, quod secun-
dum illam doctrinam nullus per propria opera in-
grederetur beatitudinem, sed per opera alio-
rum pro se facta, & sic spes salutis non procederet
secum, sed sequeretur illum, nec ex ipso, sed ex
alijs, & si sic, tunc non fieret secundum uerbum
Apostoli, quo ad Galatas Capite sexto dicit: Opus
autem suum probet unusquisq; & sic in semet-
ipso gloriam habebit, & non in altero.

Ex istis quilibet cognoscere potest, quod
non est certum, quod Petrus tam sollicitus sit
& docuisset, quod hominum alij ab ipso post
mortem mereretur salutem anime, sed istud est
certum, quod Petrus docuit, fideles uiantes me-
reri sibi ex bonis operibus pro tempore, quo
sunt in uita presenti, salutem sciens, quod si
quis bonis caruerit operibus, opera aliorum eis
non proderunt, cum uirgines fatuæ, tum caren-
tes oleo proprio à prudentioribus oleum petie-
runt, sine fructu redierunt, & per

consequens, hoc dictum Clementis

de Petro, non necessitat nos ad

credendum existentiam

purgatorij Magistri

Ioannis Ro-

kenzanae.

Iam restat pensare uerba Dionysij de oratione, quam hierarcha faciebat super eum, qui dormiuit deprecans thearchicam bonitatem, ut dimittat ei, qui dormiuit, omnia, quæ per humanam infirmitatem peccauit. Si ex illis possit argui existentia purgatorij Rok. animarum post hanc uitam, & qui uult benè notare, illud totum caput Dionysij à principio usq; ad finem, uidebit, quod ex illo dicto Dionysij de oratione hierarchæ super eum qui dormiuit, non sequitur propositum Rokenz. Notum enim est fideliter pensanti, uerba Dionysij prædicta, quod ipse non fundat orationem, quæ fiebat supra mortuo, super hoc, quod ipsi per hanc orationem illum dormientem, super quo fiebat, de aliqua pœna liberarent, aut animabus talium præsupponerent aliquas pœnas sensibiles præparari, nec uerba Dionysij prædicta confirmant perpetuas orationes fiendas pro mortuis, cum tunc solum semel super mortuo ibi ite cente fiebat oratio. Oratio etiam hierarchæ non erat communiter pro omnibus, sed tantum pro his, qui sanctè uixerunt, & per consequens, dictum Dionysij nihil facit ad propositum Rokenzan. cum ibi Dionysius describat sanctorum uirorum canonisationem, sicut finis hierarchæ demonstrat. Ad hoc enim fiebat eius oratio, ut Deus eum, qui dormiuit, constituat ipsum in lumine & regione uiuentium in sinibus Abrahamæ, Isaac & Iacob, in loco in quo aufugit dolor, & tristitia, & gemitus, & qui familia-

res fiebant sancto dormienti, et uita cōformis, ipsum beatificabant, tanquā peruenientē iuxta propriū desiderium ad finem adducentem sibi uictoriam, & tamen cantu gratias agebant de fine, causa huius uictoriæ optantes se ipsos uenire ad similem finem. Nouit inquit Dionysius Episcopus in scripturis promissa & postulat eadē dare ijs, qui sanctē uixerunt, sanctas retributiones & sciens has promissiones futuras presentibus manifestat, uidelicet, quod ea, que petit secundum attestations scripturarum omnino fient ijs, qui in sancta conuersatione consummati sunt. Hæc ille.

Quod autem hierarchia precabatur theatricam bonitatem, ut dimittat ei, qui dormiuit, omnia, que per humanam infirmitatem peccauit, non est intelligendum, quod animam talis dormientis hierarcha supponit esse, in aliqua poena sensibili, de qua per illam suam orationem ipsam liberet, sed hoc sic est intelligendum, quod hierarcha sciens, quia homines quantumcunq; sunt sancti, quā diu sunt in hac uita ad liquidum puri esse non possunt, nisi tempus mortis aduenerit, ubi statim in aduentu futuri seculi purgantur, ideo beatificans sanctum dormientem cum his, qui familiares erunt ei, & uita conformes, tanquā peruenientem iuxta proprium desiderū, ad finem adducentem sibi uictoriam orat, ut ab immundicia, quam ex humana infirmitate contraxit, statim in aduentu futuri seculi mundetur, & quod

ille sit intellectus uerborum Dionysij ipsemet ubi supra insinuat, quando inter cetera scribit: Sic (dicitur) igitur Episcopus ex eloquijs à Deo traditis, quod his, qui sanctè uixerunt, clarissima & diuina uita secundū dignitatem à iustissimis legibus retribuitur uina clementia, et benignitate supportante maculas per humanam infirmitatem cōtractas. Quia nullus, ut dicit scriptura mundus est à macula. Hec ille.

Ex cuius uerbis lucidè patet supra dicta sententia, & hæc sententia est illius magni Orige. Omel. 8. super Leuit. de muliere pariente masculū, quæ immunda fiebat 7. diebus, & infans 8. die circūcidetur. In 1. parte allegati, qui eandē tangit sententiam, & in signum illius tempore Dionysij illa oratio fiebat, nisi semel in morte defuncti. Hinc adhuc & hodie Ecclesia græca, quamuis ut dicitur, hoc Patrogatoriū Magistrorum nō teneat, tamē hunc morem de quo Dionysius scribit, sequens semel in morte defuncti super mortuo orat, et pro tunc tempore Dionysij, quādo oratio fiebat super sancto dormiente, ministri legentes in libris sacræ scripturæ ueraces promissiones de sancta nostra resurrectione decantabant. Psalmos ad ipsam resurrectionē pertinentes, & hoc fiebat nō propter dormiētes, sed ad excitandū uiuō ad bonū, & ut Deus glorificetur. Quoniā coronantur discedentē, ex quo ad hoc scribens Chrysost. Omel. 4. cap. 2. cōtra plorātes mortuos inter cetera sic dicit. Dic mihi, quid sibi uolūt istæ lampades festiue, nō sicut

nē sicut ad laeta eos perducimus, quid etiā hymni, non
 nē ut Deū glorificemus, & ei gratias agamus? Quo-
 niā iam coronauit discedentē, quoniam à laborib. li-
 berat, de seruitute ducens, nonnē propter hoc Psal-
 modia omnia ista gaudentiū sunt. Et ideò dicit Pau-
 lus: De dormientibus aut nolo uos ignorare fratres,
 et infra intellige, quid psallas in illo tempore, reuer-
 tere anima in requiē tuā, Quia Dominus benedicit
 tibi, & lachrymaris, nonnē scena est ista, nonnē hy-
 pocrisis. Si enim ueraciter credis uerbis quæ dicis,
 superuacue luges, si autem ludis & fingis, & fabu-
 las esse putas, quare psallis, crede mihi dicenti, Non
 aliter dico, sed quomodo habeo, qui uult, irascatur,
 per multum tempus ab Ecclesia ipsum uitabo, sicut
 Idolatram. Nam si Paulus dicit, auarum Idolatras
 multò magis, qui supra fidelem mortuum & ea, quæ
 sunt Idolatrarum inducit. Pro qua re dic mihi Pres-
 byteros uocas et psallentes, nonnē ut consolationem
 recipias, nonnē ut honores, discedentem quare igitur
 illum inuicias, quare cum exemplis, quare ludis
 sicut in scena? Nos enim uenimus, quasi de resurre-
 ctione psallentes, &c. Confundimini & erubescite.
 Si autem non uultis cessare ab ijs, nos non patiemur
 amplius talia mortifera in Ecclesiā induci. Hæc ille.
 Ex istis uideri potest quem modū primitiui Chri-
 stiani exercere solebāt circa mortuos illos tantū, qui
 sanctē uixerunt, quibus hierarcha sciens esse in scri-
 pturis promissa. Postulabat eadē dari à Deo sanctas
 retribua-

retributiones, & ea ratione Deum glorificabant,
 & gratias illi agebant, quoniã iam coronauit eum,
 qui uitam finiuit presentem, & à laboribus eum li-
 berauit, & legere solebant Scripturas, & Psalmos
 decantare ad resurrectionem pertinentes, & conso-
 lationem assistentium. Hinc est, quod Chrysostomus
 arguebat modernum ritum plorandi mortuos, &
 lamentabilia circa hoc decantantes uocans cos ido-
 latras pessimos, & per consequens modum moderni
 orãdi pro mortuis, & psallendi super corpora mor-
 tuorum, & memoria pro eisdem faciendi non habet
 sortẽ in actu horũ, quæ fiebant circa mortuos tem-
 pore primitiue Ecclesie istis ex causis, primò ubi
 tempore Dionisij memoria mortuorum faciebant in
 letitia, in spe salutis æternæ Deum glorificantes, &
 gratias illi agentes. Quoniam iam eam, qui uitam
 presentem finiuit, coronauit, supponentes eum bea-
 titudinem secundum Dei promissionem adipisci, le-
 gebantq; Scripturas & Psalmos, decantabant ad re-
 surrectionem pertinentes, & consolationem uiuente-
 tium, & hoc ut fides eorum, quam de resurrectione
 habuerunt gloriosior fiat. Ibi nunc modo prædicto
 contrariè memoriam mortuorum faciunt in luctu
 & fletu, supponentes animas dormientium esse in
 tormentis inferni, canunt super eos ea, quæ de dante-
 nandis intelligenda sunt, cum in offertorio defun-
 ctorum Missæ dicunt: Domine Iesu Christe rex glo-
 riæ, libera animas omnium fidelium defunctorum
 de manu

de manu inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscura. Ecce qualis fides Rok. & aliorum sibi adhaerentium supponere animas morientium haberi in faucibus Diaboli & inferni, lacu profundo acclamare istud iob: Misere mini mei, misere mini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Ad hoc ut de inferno de quo nulla est redemptio, liberentur. Tales sine dubio Chrysostomus diceret: Idolatras & Deum & ritum primitivæ Ecclesiæ blasphemantes.

Secundò ubi tempore Dionysij mortuorum memoriam facientes, mortuum beatificabant optantes, se ipsos venire ad similem finem, ibi nunc mortuum supponentes esse in tormentis sibi ipsis venire ad similem finem cauent.

Tertiò ubi tunc tantùm semel in prospectu corporis mortui memoriam defuncti faciebant, ipsum pro sancto habentes, ibi modò memoriam perpetuas promouentes intitulare animas solent. Faucibus Diaboli hærentes & cuti pergameni nomina eorum inscribere, ut successivè tam diu pergamenum durat una multitudo monachorum uel curatorum decedente, ex alijs succedentib. pro eisdem semper orent, & tam diu non exaudiantur, multum differens à si- de est ista modernorum oratio. Christus enim dicit: Cum stabitis ad orandum, credite, quia quod petitis, accipietis. Ex istis autem modernis nullus ex omni-
bus

bus credit se exauditurum, & ideò unus morientis relinquit alijs post se nomina defunctorũ, siue animarum & ipsarum, tales memorias faciendi, sed timemus quod huius causa alia non est, quare sic diligenter & multa secula improspecta superstitionum animæ defunctorum à quibus receperunt census & dominia, nominentur, nisi ut uidentes tantum curam illorum, quam ostendunt, ad eorum prædecessores superstites concitentur ad committendũ eis in agone animas suas saluo pretio uel munere aliquando illi simulant se maximam curam habere pro mortuis, in quibus iam non capit doctrina, quasi grex & officium Pastorale non in mundo, sed in inferno ipsis sint commissæ, & ideò tantam curam pro mortuis habentes, & se super illo lautè nutriente uitiosæ spe falsa illaqueant.

Quartò ubi tempore Dionisij fiebat tantum memoria defunctorum, qui sanctè uixerunt, et in bona & laudabili conuersatione uitam præsentem finiuerunt. Non autem pro his, qui immundè moriebantur, ut dicit Dionisius, ubi scribit: Quia per hoc, inquit, Episcopus ordinè diuinæ recitationis peruertisset, quando hic ijs, qui immundè moriebantur, exerceuisset, nec effectum iniuste orationis sortiretur, audiens à scriptura diuina: Petitis, & non accipitis eò quòd malè petatis, modò autem memorias mortuorum faciunt indifferenter, pro quibuscunq; & quòd damnabilius est secundum acceptionem narum

harum illis, maxime, qui habent efferre sceleratissimis diuitibus auaris, usurarijs, & gratia questus temporalis peractatione et mercatione internè mente. Ipsos in mendacio considerare facientes occasione, quorum auaricia Sacerdotū creuit, et simonia exercebatur, & erecta erāt claustra, edificia, sumptuosa templa, multiplicata superflua altaria & innumerosa multitudo Monachorum & Canonicorum introducta occasio data, dissolutioni & uerbi Dei in aduertentiæ, & populus in facultatibus & animabus est deceptus.

Ex quibus omnibus datur intelligi quod modernus modus orandi pro mortuis, & memorias pro eisdem faciendi ut præactum est, non habet sortem in actu hominum, quæ fiebant circa mortuos tempore Ecclesiæ primitiuæ, quod fuit probandum. Et per consequens dictum Dionisij non seruit quo ad hoc proposito Rok. & Rok. allegans pro se illos finitimos antiquos Sanctos, & de ritibus eorum faciens mentionem, non ideò facit hoc, ut sic faciat uel facere, sed ut ritum modernum supra Christum, & illos primitiuos infundabiliter, quo ad scripturam introductum per hoc confirmare seu palliare possit.

SOLVTIO CASVVM, QVOS MAgistri ponunt ex illis Purgatorium fore arguentes.

A P O L O G I A
C A P V T X X X I X .

ADhuc Magistri pro existentia sui Purgatorij somniati istum ponunt casum, dicentes: Possumus quòd sint duo homines, quorum unus bene uixit omnibus diebus uitæ suæ, & decedat, & alter malè uixit omnibus diebus uitæ suæ, & in fine poeniteat, & etiam decedat, tunc queritur utrum ambo ibunt in cœlum, & si sic sequitur, quòd Deus non sit iustus iudex, cum non æquè meruerunt. Si autem dicis, quòd alter damnaretur, hoc non potest dici. Quia in fine poenituit, ergò pro necessitate oportet poni medium, scilicet Purgatorium, in quo alter purgatus & emendatus tandem cœlet ad superna, per illum casum Magistri in malum profecerunt, Hi qui à spiritu Iesu desolati sedent in tenebris, ut intellectus eorum sit constrictus ne possit effugere, cum & Deus de iniustitia reprehenditur, si non fecerit secundum eorum confessionem. Sed iste casus Magistrorum in Israel, potest conuinci & refutari per illud Matth. 20. Quòd omnes missi in uineta Patrisfamilias, siue mane, siue hora quarta, sexta, uel nona, inò & undecima, acceperunt singulos denarios. Et per illud Rom. 9. Cum nondum fuisset mali, ut secundum electionem propositum Dei uideret. Non ex operibus, sed ex uocatione dictum est ei, quia maior seruiet minori, & Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et per illud Luca 12. de filio per-

digo, qui dissipans substantiam suam reuersus in se
dixit: Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam illi:
Pater peccaui &c. & surgens uenit ad patrem suum.
Ex primo enim facto Patris familias magistri dicunt,
non murmurare, dicentes aduersus Patrem familias:
Hi nouissimi una hora fecerunt, & pares nobis illos
fecisti, qui portauimus pondus diei & aestus, ne cui-
libet eorum responderet, Amice, non facio tibi in-
iuriam, &c. Ex quo potest patere, quid dicendum
sit ad casum Magistrorum, quod uidelicet, ambo ua-
dunt in caelum, licet non habeat aequalem gloriam,
& per consequens Christus destruit argumentum,
quando faciet procuratori suo reddere mercedem,
incipiens a nouissimis usque ad primos, & tantum
dando nouissimis, qui modicum laborarunt, quan-
tum primis, & quare facit hoc, nisi quia sibi licet
facere quod uult, cum sit summè bonus & diues su-
per omnes, non deficiens in aliquo, etsi alicui dederit
multum non laborem attendens, sed quod ipsum cõ-
cernit, ex sua bonitate multum attribuere pro mo-
dico. Si quis autem sapientior eo esse uoluerit, con-
tendat secum, & nihil obtinebit, & secunda etiam
scriptura, ubi Deus dixit: Iacob dilexi, Esau autem
odio habui, non conuincitur Deum fore iniustum, si
unum ex illis non consequitur gratiam, quia potest
unum sequi gratia, & alterum non, cum liceat sibi
facere quod uult, & per consequens faciens secun-
dum gratiam illi bene, qui modicum laborauit non

est ex hoc iniustus. Ex illa etiã scriptura de filio prodigo non habetur, quod filium reuertentẽ Pater pernitiat, uel ab eo se elonget, sed cum adhuc esset longe uidens eum misericordia motus & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum, & multam aliam affabilitatem ei ostendit, numquid ergo iuste senior frater, qui nunquam mandatum Patris præteriuuit, indignabitur Patri reconcilianti sibi filium, qui perierat, non ex merito ipsius, sed ex sua immensa misericordia. Hoc idem confirmari potest per lationem serò stebilem, qui usq; ad mortem mortale uixit, qui tamen modica breui pœnitentia præuolauit in Paradisum cum Christo intrauit, & non Purgatorium somniatum. Et per consequens nihil pro existentiis Magistrorum Purgatorij facit casus ipsorum prædictus, sicut nec illud exemplũ, quod pro eodẽ adducunt. De rege habente sponsam sedentẽ in sordibus, qui nõ admitteret eã in sui conspectũ adduci, ueretur prius & mundificetur, uolentes ex hoc trahere, quod sic fiat de anima qualibet fidei, quæ existens sponsa Christi est in carcere carnis pleno abominatiõnis, à qua q̄ diu est in hac uita, mundificari ad plenam non potest, nisi exuit carnem, et carne exuta nõ uenit in cõspectũ Domini, nisi in Purgatorio expietur. Istud dictũ magistrorum imperceptibiliter inculcat multa mala & magnã partẽ cõculcat fidei, quia per istud dictũ magistrorum oēs modi purgandi ex fide alij ab illo, qui sit in Purgatorio, ut fingitur quibusdam

uiantes in uita presenti uerè et perfectè purgantur
à suis peccatis reponentur in spe, & in quadam ex-
pectatione, illius futuræ purgationis somniant.

In quo etiam pessimi homines suppodiantur, nec
credunt esse aliam nec aduertunt, si audierint de alia
purgatione in illâ qualitercunq; malè uixerint spen-
dentes, ideo ad hoc reprimendū hoc dictum Ma-
gistrorū diligenter notandi sunt modi purgandi, ex
fide scripturæ, quibus merentibus animæ fidelium in
presenti purgantur, ut corporibus exutis statim di-
gne possint apparere in cōspectu Domini. Quorū li-
cet aliqui tacti sunt in prima parte huius in 2. suppo-
sitione huius materiæ, tamē hic aliquos adiciemus.
Petrus enim dicit Act. 15. Nihil discreuit inter uos et
illos fide purificans corda, ibi B. Petrus innuit fidem
esse sufficientē ad purgandū malos, siue omnibus ex-
trinsecus additamētis, ut præostensum est in latrone
dextro, qui credens et recognoscens peccatū suū sta-
tim fuit dignus paradiso. Alius modus purgādi sponsæ
Christi per pœnitentiā tangitur, Esa. 50. Lauamini
& mundi estote, auferte malā cogitationū uestrariā
ab oculis meis, Quiescite agere peruersè, & discite
bene facere, & sequitur. Si fuerint peccata uestra ut
coccinū, quasi nix dealbabūtur, et si fuerint rubra,
quasi uermiculus uelut alba lana erūt, ubi Dominus
seipsum obligat, secundū modū ibi expressum pœni-
tentibus, quia et si enormia peccata habuerint, quod
dealbabuntur, ut nix. Alius modus purgādi tangitur

in Euangelio, ubi Matth. 3. dicitur: ipse uos baptizabit in spiritu & igne. Cuius uentilabrum in manu eius, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, quod Ioan. Chrysostomus exponit de area pœnitentis Ecclesiæ, & de igne tribulationis, ibi uideatur & nō solum sic Dominus purgat aream suam per tribulationes, sed per se ipsum mundat sponsam suam hīc in præsenti, etiā ut testatur Apostolus Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut sanctificaret eam, mundans eā lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam nō habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut sit sancta et immaculata, ubi Apostolus exprimit, quod Christus tam maximè dilexit Ecclesiam, quod noluit ipsam aliquo alio lauacro immundificare, nisi suo proprio sanguine, & non sic insufficienter, ut remaneret aliquid immunditiæ, sed sic gloriosam eā sibi exhibuit, ut non habeat maculam neq; rugam, sed ut sit sancta & immaculata, & non solum testimonium hoc resonat in terris de immundificatione sufficienti sponsæ Christi in sanguine eius, sed ex testimonio est de ecclesia eorum, qui actualiter consecuti sunt illam munditiam, de quibus Apo. 7. scribitur. Sic est dictum: Hi sunt, qui uenerunt de tribulationibus magnis, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. deò sunt ante thronum agni, & seruient ei magis. Magistri in Israël, illas fictiones suas indeceperunt.

nem simplicium sciunt fingere, et hæc certa testimonia fidei ignorant sed quando hæc testimonia fidelia uenient in mediū, quid ualebunt corū fitiones, quibus fingunt, quòd anima exiens carcerē abominabile carnis, non uenit in cōspectum Domini, nisi mundificata igne Purgatorij somniati, uel hoc quod sanguini Christi debetur, attribuunt Purgatorij igni. Sunt adhuc plura, quæ Magistri adducere solent pro existentia sui Purgatorij, quæ quia non sunt digna memoria, obmittuntur. Ex quibus omnibus fideliter supra scripta aduertenti patere potest, quòd nullum fundamentum M. Ioan. Rok. cum sibi adherentibus, super quo nititur fundare suum Purgatorium, stare potest, & per cōsequens nihil per suum grauem labyrinthum contra nostrā in petra firma fundatam sententiā effecit, nec in minimo ipsam ueraciter improbant, licet leuiter, & ut ita dicamus, taliter, qualiter nō ex lege Domini, nec ex autoritatib. sanctorum Doctorū se in eadem ueraciter fundantium ad scripta nostra respondeat. Utinam igitur M. Rok. ad prædicta intenderet, & non ex ambiguis nobiscum cōcertaret, sed si quid habet certi expressè aut uerè in lege Dei fundati pro existētia sui Purgatorij, potius in mediū proferat. Si nō habet, uellemus ut salubrius reticeret, & de se prouideret, ne occasione suæ promotionis talis Purgatorij post hanc uitā sine fundamento scripturæ, faciat homines sperare in incerto, nec hoc est in deturpationē causæ nostræ, nec in

nostri culpabilem accusationem, sed magis in excu-
 sationē nostram, et causę nostrę in hac materia con-
 firmationē maiorē, quod M. Ioan. Rok. in principio
 2. culpę, quam nobis obijcit, scribit, quod nō sit no-
 uum dogma de negatione post hanc uitā Purgatorij
 talis, & de non oblatione sacrificij, ut orationes pro
 mortuis dormiētibus, sed antiquū, et iā nostris tem-
 poribus renouatū. Quamuis à modernis in Arrianis
 pro errore sit cōdemnatū, de quibus scribitur, quod
 pro mortuis non orant, nec sacrificium pro eisdem
 offerunt. Qui quamuis pro erroneis habendi sunt,
 sed & de quanto aliqd. pertinaciter asseruerint con-
 trariū ueritati, nō tamen ex hoc pro talibus habendi
 sunt, si Purgatoriū somniatum pro fidei articulo nō
 promouerint, nec oblationes sacrificij aut orationes
 pro mortuis dormientib. fecerint, cum hoc tenentes
 seu asserentes nō uidentur alicui scripturę expressę
 aut alicuius Doctoris sancti sententię se ueraciter in-
 eadē fundantis contra ire. Benedictus ergo sit Do-
 minus, quod nō nouū dogma est, nec per nos de nouo
 attentatū, de nō astructione post hanc uitā pro fidei
 articulo talis somniati Purgatorij, sed antiquum &
 dudū in Ecclesia Domini tentum, & specialiter pro
 Ecclesiā gręcā totā q̄ periculosum uidetur dāmen-
 re, quo ad hoc Purgatoriū, quod ut dicitur ipsa me-
 nimē tenet, cum ipsa sit immediata Apostolorū filij
 & discipula coęua, Ecclesię romanę magistra, per
 quam fides primitus ad nos descendit, & mores uel
 Chryso

Christiane nos edocuit, & per cōsequens in hoc est
 præ omni alia moderna excogitatione potius & se-
 curius imitāda pro eo quod ipsam immediatè docuit
 Apostolus, nedū scripto. Sed præsentia suæ facialis
 cōuersionis & oris sui eruditione præcipiens eis,
 nedum scripta sua, sed in se uisa & à se audita firmi-
 ter conseruare. Philip. 4. dicens: De cætero, fratres,
 quæcunq; uera sunt, quæcunq; pudica, quæcunq; iu-
 sta, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq;
 bonæ famæ, si qua uirtus, si qua laus discipline, hæc
 cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & uidistis
 in me, hæc agite, & Deus pacis erit uobiscum.

RESPONSIO SACERDOTVM TA-
 boriensium ad culpam tertiam
 eis obiectam.

CAPVT XL.

IAm ad culpam tertiam restat accedere, nobis sub
 tali forma propositam. Sacerdotes Taboritarum
 sunt hominib. uiuis multum nociui, prohibentes
 desiderare siue optare illā cœlestē hierarchicā & B.
 uirginem Mariam pro suffragio nobis peccatoribus
 miseris. Ad quam taliter respondemus, quòd in spe
 uiuis hominibus non nocemus, quando ex authori-
 tatibus scripture sacre, & sententiæ sanctorū Do-
 ctorū se ueraciter in eadē fundantiū in parte huius
 prima latè descriptis. Docemus populum, ut cogno-
 scentes unum solum, certum, uerum & sufficientem
 aduocatum Christum IESVM pro omnibus qui
 egent

egent gratia Dei, exemplo Ioannis Apostoli, qui se-
 cundū August. dicit: Vir iustus & magnus, cui mul-
 ta Deus præ alijs reuelauit, se in numero ponēs pec-
 catorū, non se, sed Christū pro se et alijs aduocatum
 confitetur, ipsum solum inter homines inuocet, sim-
 pliciter sequentes in hoc Ecclesiam primitiuā, quæ
 ut dicit Doctor Euangelicus, orationē singulariter
 dirigebat ad illā personam mediā pro adiutorio spi-
 rituali, et plus tunc inquit Ecclesia, profecit & cre-
 uit, quā facit modò, multis intercessorib. adiuuen-
 tis, nec in hoc uiuis hominib. nocemus, quādo suade-
 mus ipsis, ut benè uiuentes sanctos imitentur, in hoc
 in quo ipsi imitati sunt Dominū Iesum Christum, &
 quādo ipsos præmunimus, ut sp̄e nō reponant in in-
 certis & nouis intercessionib. sanctorū, nec honorē
 soli Deo debitū eis exhibeāt. Hæc sic ut dicitur, agē-
 tes non pro nocumento, sed magno iuuamine uiuorū
 reputamus, ubi autē specialiter nobis ascribitur &
 imputatur, quòd prohibeamus optare cœlestē illam
 hierarchicā et B. uirginē Mariā pro suffragio nobis
 peccatorib. miseris, ad hoc taliter respōdemus, quòd
 nos suffragia Sanctorum non negamus, quibus pro
 capacitate suffragantur hominibus in Ecclesia mili-
 tante, nec ea asserimus à Deo nullatenus postulan-
 da, ut in prima parte huius, ubi tractatur de inuoca-
 tione sanctorum. specialiter eiusdem materie capite
 ultimo ostensum est. Quod autem pro illis suffragijs
 uel intercessionibus Sanctorum nouiter adiuuentis
 non

non inuocamus illam coelestem hierarchicā Sancto-
rum, neq; beatam uirginem Mariam, modo quo ma-
gistri Pragenses & alij populares ex eorum institu-
tione communiter consueuerunt, ipsis ieiunantes
eos, orantes, & incensa & oblationes eis peragen-
tes, hoc ideo facimus, quia ut in prima parte huius
tractum est, percipientes ex communi sententia do-
ctorum, quod inuocatio siue oratio saltem proprie
dicta est cultus soli Deo exhibendus, & non uiden-
tes expressam scripturam legis sub aeterna damna-
tione obligantem, ad tenendum pro fidei articulo,
quod sancti corpore exuti à fidelibus hinc uiantibus,
pro suffragio & intercessione necessariò taliter sunt
orandi aut inuocandi, & notantes populum per hoc
in magna superstitione & perfidia continuè labo-
rare, ea intentione eos non oramus, nec inuocamus,
nec suffragia eorum ab eis secundum magistrorum
intentionem & doctrinam postulamus, ne cultum
soli Deo debitum, ipsis impendamus, quamuis sic,
ut decet, eos dicamus honorandos ac imitandos, quæ
omnia non in dedecus sunt Sanctis, nec hominibus ui-
uis in nocumentum, sed iuuamen, quando nos caue-
amus ne homines honorem soli Deo debitum, San-
ctis impendant, unde ex eo, quod uas electionis, sci-
licet Paulus, in suis epistolis semper exhortatus est
ad Christum Iesum crucifixum & eius dilectionem,
orationem & reuerentiam nominando eum, aut
quingentis uicibus & ultra, & nomen uirginis glo-
riose

riosæ nunquam uel rarò, non per hoc, non inhono-
 rauit, siue non, ut debuit, ipsam uel cæteros sanctos
 dilexit, cum ipse dixit, quod certus sum, quòd nemo
 separabit me à charitate CHRISTI, cum ergò
 Deus ipse diligitur summè, & honoratur, in hoc
 omnes Sancti diliguntur & honorantur. Ipse autem
 suam gloriam alteri non dat, imò si eius aliqua cre-
 atura ultra ipsum diligeretur, & pr. e ipso honora-
 retur, non esset hoc honorare, sed inhonorare, &
 quasi ante CHRISTVM, supra id quòd dicitur
 Deus, extollere. Sic inueniuntur multi, qui ex in-
 fundabili Magistrorum inuocationis Sanctorum
 magnificatione, & ex eorum cæca deuotione plus
 afficiuntur Sanctis in ieiunando, orando, sacrifican-
 do, celebrando, genua flectendo, & alia signa la-
 trie ipsis attribuendo, quàm ad CHRISTVM
 creatorem omnium, & hoc nos cauentes illam eo-
 rum infundabilem inuocationem Sanctorum pro
 fidei articulo non promouere audemus, suadentes
 hominibus, ut solum Deum adorent & illi soli ser-
 uiant. Quia scimus, quòd hæc est uoluntas & omni-
 um Sanctorum honor & reuerentia, quia non ipsi
 sed eorum Deus nobis est Deus, cum in scriptura
 sacra nullibi habeamus de hoc faciendi ex-
 emplum explicitè uel præceptũ, quòd
 Sanctos taliter debeamus in-
 uocare.

NVLLA SCRIPTVRA, QVAM MAGI
ftri pro inuocatione Sanctorum al-
legare consueuerunt, eorum
seruit proposito.

CAPVT XLI.

QVando autem M. Ioannis Rok. uolens hanc
Sanctorum inuocationem fundare, adducit
pro illa scripturas quasdam legis, illæ tamen
si uerè & fideliter aduertantur, non sunt pro illa san-
ctorum inuocatione, nec ipsum datum est primari-
um significatum alicuius partis S. scripturæ, quas i-
psi cum alijs pro fundatione dictæ inuocationis alle-
gare consueuerunt, & quia inter omnes scripturas,
quas ipse cum sibi adherentibus pro sanctorum in-
uocatione adducit, nõ sunt fortiores, quàm istæ, quæ
tanguntur p̄ ordinẽ, ideò restat nobis uerum sensum
earum inuestigare, quo inuestigato & ostenso, quòd
illæ non seruiunt suo proposito. constabit fundamen-
tũ Rok. cũ sibi adherentib. esse euersum & deiectũ
prima scriptura, quam pro fundamento inuocatio-
nis sanctorum adducit Rokenzan. est illud secundo
Macchab. ultimo, ubi scribitur: Hic est, qui multũ
orat pro populo, & pro uniuersa sancta ciuitate,
Hieremias Propheta Dei, sed hæc scriptura non pro-
bat suum propositum, nec hoc est certum, cũ hoc
in somnis Iudæ ostẽsum fuit, & per amicum summũ
sacer-

sacerdotem nunciatum, & nescitur certitudinaliter, si ita in re factum sit, cum istud tacetur primo libro Macchabeorum cap. 7. ubi describitur illud bellum secundum doctorem de Lyra, & dato, quod oret Ieremias pro populo & sancta ciuitate Hierusalem, nec hoc per nos impugnatur, non tamen ex hoc sequitur, de hoc non contendimus, quod debeat à uiuantibus ad sic orandum necessariò inuocari, & per consequens inuocationem sanctorum ex illa scriptura minimè concluditur. Secundo Rokenzana pro eadem inuocatione adducit illud Iob, ubi sic dicitur: Voca ergò, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. Ex illo dicto istud eliciens, quod homines uiantes uolentes Deum adorare, debent sanctos inuocare, ut pro eis Deum orent, sed qui uult rectè & fideliter illa uerba attendere, quo, ex qua causa, & ad quid dicta sunt, poterit intelligere, quòd ex illis dictis inuocatio sanctorum non probatur. Notum enim est, quod Elyphas amicus Iob credens, quòd aduersitates huius mundi non conueniunt homini, nisi in poenam peccati, & per consequens, quòd ipse Iob pro peccato sit punitus, & quòd illud recognoscere debeat, & uerba præmissa dixit, ut inuocet Deum, si est, quasi diceret, non est qui respondeat, exaudiendo uiuens, quòd Deus non respondebit, quia cum in tranquillitate contentus sit, & quòd conuertatur ad aliquem sanctorum, considerando si aliquis unquam existens innocens, puniretur.

retur. Pensando ergo sensum & intentionem dicentis, quilibet cognoscere poterit, quod hoc dictum amici Iob nihil facit pro materia inuocationis Sanctorum Rokenz. & dato, quamuis non concessio, quod ille Elyphas hereticus per hoc dictum suum intelligat, quod Sancti illi coelestis hierarchie debeant inuocari, non tamen hoc dictum suum, carens uero fundamento scripturae, fidem de inuocatione facere debet. sicut nec hoc, quod hereticè sensit de punitione Dei erga homines, & per consequens ex illa scriptura fundamentum infirmum & fragile capitur ab autoritate heretici inuocationi Sanctorum antedictae, similiter dici potest ad illud Iob 11. ubi Sophar disceptans cum Iob, ad eum dixit: & deprecabuntur faciem tuam plurimi, quod magistri pro inuocatione Sanctorum allegare solent, sed hoc dictum non seruit eorum proposito. Quia doctor de Lyra hoc sic exponit: deprecabuntur faciem tuam plurimi, id est, desiderabunt uitam tuam, & reuerentiam facient tumulo tuo commemorantes beneficia. Gregorius autem in morali lib. 10. hunc textum exponit de hypocritis ambitiosis, qui omnia faciunt, ut commendentur ab hominibus, & pro hominibus intercessores esse uideantur, quod iusti non quaerunt nec affectant. Ita enim scribit: sed inter hoc sciendum, quod prauim cum recta praedicant, ualde difficile est, ut ad hoc, quod taciti ambiant, non erumpant, unde Sophar protinus adiungit: & deprecabuntur.

precabuntur faciem tuam plurimi. Neq; enim iusti uiri idcirco innocentiae suae itinera arcta custodiunt, ut ab alijs exorentur, siue haeretici siue peruersi quilibet, & per hoc quod inter homines quasi innocenter uiuunt, uideri pro hominib. intercessores uolunt, & cum sancta loquentes insinuant, quod ipsi appetunt, hoc alijs pro magno pollicetur, dumq; caelestia praedicant repente in suis sponsonibus ostendunt. Haec ille. Ex quibus dictorum sententijs luculenter patet, quod hoc dictum amici Iob non est pro inuocatione Sanctorum ante dicta Rok. sic responderi potest & ad illud Danielis 30. ubi Azarias dicebat in sua oratione: Ne quae sumus tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, neq; auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum, quod magistri pro sua inuocatione etiam allegare consueuerunt, quod hoc dictum Azariæ non est pro inuocatione sanctorum astruendum, notum est quod ibi Azarias, quia sciebat hanc promissionem diuinam ueracem in suis promissionibus. Idcirco in sua oratione praedicta sic se continuans dicit: Ne desinas populum tuum, scilicet de quo promissisti Christum nasci, et hoc Abraham. Vbi doctor de Lyra dicit, quod ibi Azarias implorabat diuinam clementiam, allegans promissionem factam sanctis Patribus. & ideo subdit in textu, quibus locutus es pollicens, quod multiplicares seminem eorum sicut stellas caeli, & arenam quae est in litore maris.

re maris, & per consequens illa scriptura non seruit
 eorum proposito. Adhuc Magistri pro inuocatione
 sanctorum, adducunt illud Osee 12. In utero supplan-
 tauit frenum suū, & in fortitudine sua directus est,
 cū angelo & inualuit ad angelū & confortatus est,
 fleuit & rogauit eū. Ex qua scriptura dicere uolunt,
 quòd iacob in lucta, quā habuit cum angelo, fleuisset
 & rogasset angelū, ubi tamen quilibet potest ui-
 dere & cognoscere coassumpta historia de lucta ia-
 cob cum angelo, quæ ponitur Gen. 32. & ipsa diligen-
 ter pensata, & notato dicto Lyræ super predicto te-
 xtu Ose. 12. qui refert Hebræos dicere et tenere, quòd
 angelus rogasset iacob, & nō e contra. Et dato, quòd
 iacob rogasset angelū, tūc nō rogauit eū in quātum
 angelus, sed in quantū Deus uidelicet ex textu Gen.
 32. ubi dictum est: Quoniā si contra Deū fortis fuisti
 quātō magis contra homines præualebis, & in signū
 illius, illum eundē textum de lucta iacob cū Angelo
 mysticans. Beda dicit ita scribens: Quid aut hoc in lo-
 co significat iacob, nisi iudæorum populū, q̄ ab eo o-
 riginem ducit. Quid uerò Angelus, nisi Christū desi-
 gnat, de quo scriptū est: & statim ueniet ad templū
 sanctū tuū, dominator quē uos queritis, & angelus
 testamenti, quem uos uelitis. Si. n. luctamen angeli
 cum iacob tantū ad literā intelligere uelimus, non-
 ne ridiculum esse uidetur. Quæ. n. utilitas fuit, cum
 iacob angelū pugnasse, præsertim cū dicatur, quòd
 eū superare non posset, quis hoc credat? Quid deniq̄
 est.

est, quod claudicare cum fecit, & benedixit angelus iste, Christus est, ideoq; modò uir non angelus appellatur, qui carnem suscipiens, & in mundum ueniens usq; manè luctatus est cum iacob, quoniam usq; ad horam resurrectionis, quæ primo mane facta est, cum iudæi persequi non cessauerunt. Luctabatur autem Christus cum iudæis, quoniam admonendo & arguendo eos, sæpius ad iram prouocabat. Luctabantur autem iudæi cum Christo insidiando, accusando, deridendo, multisq; modis ipsum persequendo, qui cum ipsos superare non posset, non potuit quidem, quia noluit. Oblatus est enim, quia ipse noluit, uoluit per carnem uincere, quia carnem uenerat redimere, detegit neruum femoris eius & statim emeruit. Sic igitur Christus ex parte benedixit iacob, & ex parte non benedixit. Benedixit quidem pedem rectum, sed non benedixit pedem claudum. Benedixit Apostolos cæterosq; credentes, & non benedixit crucifigentes & persequentes. Secundum ergo hanc partem benedicuntur iudæi, secundum illam claudicant, unde dicitur: Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterauerunt & claudicauerunt à semitis suis usq; hodie, uno pede claudicant, iudæi uetus & non nouum testamentum suscipientes, sed quia in hæc duo diuiduntur filij iacob, in credentes & in non credentes, altera eius pars luctatur cum Christo, illa uidelicet, quæ claudicat, altera benedictionem petit à Christo & illa pars quidem, quia superbi

perbè luctabatur, emarcuit. Hæc autem, quia pie e-
 um detinere nitebatur, benedicitur. Non enim ui-
 sed amore tenetur Christus. Cur enim non totus, sed
 ex parte percutitur & benedicitur Iacob, nisi quia
 non totus populus Iudaicus, sed ex parte ei contra-
 rius extitit, unde Apostolus, cecitas ex parte con-
 tingit in Israel. Quod autem dicit: Dimitte me, au-
 rora est, Bonis itaq; dicit, qui post auroram resurre-
 ctionis per dies quadraginta eum tenere in hoc mun-
 do meruerunt, unde ipse, quasi qui teneretur, dice-
 bat: Expedit uobis, ut ego uadam, & nisi abiero, pa-
 ractetus non ueniet ad uos, neq; tamen prius eum
 dimittunt, quam eis benedicat, Sic enim Euangelista
 ait: Eleuatis manibus suis, benedixit eis, & factum
 est, e contra quæ dum benedicere ab eis, & ferè in
 cælum. Sola igitur pars honorum eum tenuit. Sola
 benedicitur, sola mutato nomine uocatur Israel. So-
 li insuper huic parti dicitur. Quoniam si contra De-
 um fortis fuisti, quanto magis contra homines præ-
 ualebis, in hoc contra Deum fortis fuit. Quia tam
 diu eum tenuit, donec eum benediceret, sic & Mo-
 yses eum tenebat, cui Dominus ait: dimitte me ut de-
 leam populum hunc, & faciam te ingentem magnã.
 Nisi enim teneretur, non dixisset: Dimitte me, hæc
 per totum Beda. Ex quibus patet, quod nec illa scri-
 ptura fundat inuocationes Sanctorum. Adhuc Ma-
 gisteri pro inuocatione Sanctorum, adducunt illud
 Iob 33. ubi sic scribitur: Si fuerit Angelus pro eo lo-
 quens

quens unus de similibus, ut annunciet hominis æqui-
 tatem, miserebitur eius & dicet: Libera eum, ut non
 descendat in corruptionem, inueni, in quo ei propi-
 tior. Ex qua scriptura arguunt magistri, quod angeli
 sint medij inter Deum & homines, & hominis desi-
 derium Deo proponentes, & p consequens sunt pro
 illo suffragio inuocandi, & si angeli, quare non alij
 Sancti in patria existentes, sed istud caret fundamen-
 to scripturæ, idè uerius & fundabilius in morali
 Gregorij lib. 24. exponens hunc textum limitat hoc
 ad Christum mediatorem Dei & hominum, qui est
 aduocatus noster apud Patrem, & interpellat pro
 nobis, sic scribens: Quis enim est iste angelus, nisi il-
 le cui per Prophetam dicitur: magni consilij ange-
 lus. Quia enim Græca lingua euangelizare, denun-
 ciare dicitur, semetipsum nobis annuncians, Domi-
 nus Angelus uocatur, & exponens prædictum usq[ue]
 ad finem ad eum limitat, uidelicet intuēti. Et dato
 quòd Angeli alij à Christo iustitiam & desiderium
 hominis Deo proponant, non quasi nescienti, sed ue-
 lut homines adiuuantes, & sicut ut sic sint, allega-
 tores iustitiæ hominis apud Deum, sic sint, excusato-
 res diuinæ misericordiæ apud homines, non tamen
 adhuc ex hoc necessario concluditur, quod sint pro-
 pter hoc ab hominib. pro illo beneficio inuocandi et
 p consequens, illa scriptura inuocationes Sanctorū
 nō probat, adhuc magistri gloriantur cū illo, Act. 27
 à dicto Apostoli: Astitit enim hac nocte mihi angelus
 Dei

Dei cuius sum ego, & cui deservio. Ex qua scripturas innuere uolunt, quod Apostolus dicat se Dei angelo deservire, cum tamen ibi hoc relatiuum cui, non refert Angelum, sed Deum, patet ex quadam regula, quæ naturam relatiuorum concernit, quæ est ista. Quod relatiuum, quod potest ad duo referri, antecedentia ad proximum refertur, si non cum priori magis sit accidentibus limitatum. Cum ergo illa relatio in priori fuit scripta, uidetur rationale, quod natura illius regulæ de relatiuis ibidem obseruetur.

Hinc Doctor de Lyra prædictum textum sic exponit: Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cuius sum ego scilicet Apostolus, & cui deservio in Evangelio. Ecce hic Doctor ad Deum, non ad Angelum facit relationem. Vereri ergo deberent corruptores scripturarum, & ex quo non uerecundantur, hoc in locis pluribus contra scripturam facere, idem timendum est, quod faciunt in allegatione aliarum scripturarum, quarum scilicet expositores ubilibet uiderentur. Appareret quod non illas probant suum propositum, simplices aut sacerdotes & alij audientes nuda uerba scripturæ allegare, & sensum ignorantes, nec omnes expositores super his uidere uolentes credunt eis, & Laici specialiter in sic sinistrè allegatis scripturis decipiuntur. Ex istis iã dictis potest quilibet supra dicta pensans cognoscere, quod nullum fundamentum M. 10. Rok. cum sibi adherentibus

super quo nititur fundare, inuocationes Sanctorum stare potest, cum scripturae in quibus illas fundare nitatur, si fideliter & ueraciter aduertantur, non sunt pro illis, & quamuis in aliquibus ex illis scripturis innuatur, quod multi sancti Patres, uelut Abraham Genes. 18. Loth. 19. Gene. Manne. Iud. 13. Tobias cap. 12. Daniel cap. 10. & sic de multis alijs alloquebantur angelos in forma humana eos uisitantes, homines ipsos fore existimantes, ut testatur communiter doctor de Lyra, praedicta loca scripturae exponens, & illud à nobis non negatur, sed conceditur, quod & hodie quilibet nostrum facere posset, si & dum in tali casu alicubi Angelus appareret, uel eidem destinaretur. Ex hoc tamen non uidetur concludendum, quod Sancti corpore exuti, à nobis uiuantibus modo, quo pro fide à magistris astruitur, debeant necessario inuocari, unde cum Angeli sint spiritus administratorij, & sic propter electos Dei in ministerium missi, propter hoc in tali ministerio humilitatem obseruant, non quærentes ab hominibus uenerationem aut cultum, sed hominibus exhibent ministerium, Deum autem reuerentiam & cultum sibi debitum, & per consequens ab Deum obseruantes reuerentiam, nolunt ab hominibus rogari, aut cultum ab eisdem suscipere scientes. Quia ille soli Deo debetur, sicut hoc manifeste ostenditur Apocal. ultimo, cum Ioannes uidens & audiens uisiones cum cecidisset, ut adoret ante pedes

des angeli, qui sibi hæc ostendebat, dictū est sibi, uide ne feceris, conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui seruant uerba prophetiæ libri huius, Deum adora, ubi ostenditur, per quid adorationem à se reijcit, quia per hoc quod se recognoscit horum ministrum, quibus legationem agebat, & per hoc humilitatem suam ostendit, & cultum Domino Deo exhibendum præcipit, simile habetur de angelo Tobie cap. 12. Ex quo patet, quod homines sancti non orauerunt nec adora- uerunt Angelos, in quantum angelos, imò Angeli si uoluisset eos aliquis adorare uel orare, & præsertim post Christi incarnationem, ipsi ex sua humilitate & reuerentia, quam ad Deum habent, non ad- miserunt, ne Deum honore sibi debito, spoliarent. Hinc est quod Gregorius in Omel. super illo Euang. Exijt edictum à Cesare Augusto, ita scribit: Prius quippe quàm redemptor noster per carnem nasce- retur, discordiam cum angelis habuimus, à quorum claritate & mundicia per primæ culpæ meritum, per quotidiana merita lōgè distabamus. Quia enim peccando extranei eramus à Deo, extraneos nos à suo consortio deputabant angeli ciues Dei, sed quia nos cognoscimus Regem nostrum, recognouerunt nos angeli ciues suos, quia enim cœli Rex certam no- stre carnis assumpsit infirmitatem, illa iam angelicæ celsitudo non despicit nos, ad pacem nostram angeli redant intentionem prioris discordiæ postponunt,

Et quòd prius infirmos, abiectosq; despexerant, iam
 sanctos uenerantur. Hinc est enim, quod Loth uel Io
 sue angelus licet, non in quantum angelus adorauit,
 nec non adorare perhibentur. Ioannes uerò in apoca
 lypsi adorare angelum uoluit, sed tamen idem hunc
 angelus, ne se debuit adorare compescui, dicens: ui
 de ne feceris conseruus, &c. Quid est, quod ante re
 demptoris aduentum angeli ab hominib. adorantur.
 Et tacent, postmodum uerò adorari refugiunt, nisi
 quod naturam nostram, quam prius despexerant,
 postquam hanc super se assumptam conspiciunt, sub
 stratam sibi ridere pertimescunt, nec iam sub se uelut
 infirmã contemnere ausi sunt, q̄ super se uelut in coe
 li rege uenerantur, nec dedignantur habere hominẽ
 socium, qui super se adorant dominum regem. Hęc
 ille. Ex cuius uerbis euidenter elicitur, quod Angeli
 licet sint administratorij spiritus, & quasi omnia
 eorum dispositione agat Deus, non tamen sunt oran
 di, aut cultus ipsis propter hoc exhibendus. Contra
 hoc quidam gentiles Philosophi peccauerunt, qui
 uolentes inuestigare, quid est summum bonum, a
 quo cuncta cetera reguntur, & considerantes,
 quod illud non sit aliquod corpus, nec illud potest
 esse principium omnium, quod est mutabile. Spiritus
 angelicos attenderunt, & uidentes, quia omnia
 quasi eorum dispositione aguntur, dati in sensum
 reprobum, eos Deos uocabunt, & honorem diuini
 num eis exhibebant, & de numero illorum quos
 dati

dam dixerunt esse, qui bona inducerent, & alios, qui mala, non illis utrisq; seruebant. Illis bonum ab eis expectantes, & istis ne mala in eos uenire permittant, & licet in scholis disputabant, quod unus sit Deus, in templis tamen eorum multos colebant Deos, angelis illum honorem indebitum exhibentes. Quod uidens Apostolus Coloss. 2. omnes ab illo prænunit, orare dicens: nemo uos seducat, uolens in humilitate & religione Angelorum, quæ non uidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & subministratum & constructum crescit in augmentum Dei, super quo Remigius ita scribit: Nemo uos seducat in religione Angelorum, id est, cultura Angelorum. Erant Philosophi Gentium, & quidam Iudeorum qui dicebant: Sicut sunt quatuor elementa, ita sunt & quatuor angeli, qui præsumt illis. Qui ergo dicebant ad illos, Qui crediderant uolentes apparere religiosi, quia ex quatuor elementis eos statis, debetis angelis illis, qui præsumt elementis culturam aliquam & sacrificia offerre, sed quia nihil erat, quod dicebant, subiunxit Apostolus, quæ non uidit, &c. sed docens. Hæc ille.

Ex cuius uerbis manifestè ostenditur, quod illi errant, qui angelos colunt, hinc 24. q. ubi defectus hereticorum tractantur in numero aliorum, angelici enumerantur erronei, qui angelos colunt, ubi Rok. cum sibi adherentibus timere debet, ne particeps talium

fiat, quando docet orare angelos, pro intercessione
 & consequenter alios sanctos ea bona, quæ homines
 à solo Deo querere debent, eis denunciatis, in ange-
 lis & cæteris sanctis. Quamuis ergò angeli sint ad-
 ministratorij spiritus, & multum nobis utiles, cum
 eorum dispositione multa fiant, non tamen propter
 hoc à nobis sunt honorandi, sed Deus, cuius dispositi-
 one & hoc bonum, quod per angelos fit ad utilitatē
 electorum ordinatur, quemadmodum per similitu-
 dinem quandā uidemus in molendino fieri, ita quod
 quamuis ad faciendā farinā concurrunt mola rota
 & aqua, & tamen is qui uult habere farinam, petit
 non molam, aquam, uel rotam, sed ipsum molendi-
 natorem, cuius ordinatione omnia illa fiunt, & dici-
 tur principalius, farinam disponere quàm illa præ-
 dicta concurrentia instrumenta, sic in proposito po-
 test dici secundum quandam similitudinem & pro-
 portionem. ;

INVALIDAE MAGISTRORVM
 probationes.

C A P V T X L I I .

Adhuc Magistri inuocationes Sanctorum uo-
 lentes fiedas statuere, tales solent facere sim-
 plicib. suasiones, si sancti fuerunt potentes, sa-
 gaces atq; beniuoli in terris ad orandū pro fratribus
 suis miseris, quando adhuc soli de se erāt solliciti, &
 impedimentum à propria carne habuerunt, quanto
 magis

magis corpore exuti, ubi maiores sunt Domini suae
 uoluntatis, eatenus impedimentis priuati, omnisci-
 entes, quo ad indigentiam nostri status, cum uideant
 in uerbo tanquam in speculo, omnes indigentias no-
 stras, & compatiuntur nobis, & pro nobis interce-
 dant, & omnium uoluntates excremento feruentis-
 simae charitatis, cum illa prima charitatem non mi-
 nuit, sed augmentat. Charitas enim nunquam exci-
 dit, nec beati, quia impassibiles imò incompassibiles,
 quin potius uiscera misericordiae intentius pro no-
 bis induunt, cum ante fontem misericordiae nunc as-
 sistunt, & eo potissimum, quo norunt Deum pro no-
 bis disponere, quod ante complementum nostrae pere-
 grinationis, nec beatorum numerus, nec eorum bea-
 titudo erit finaliter consummata, per quod Magistri
 ostendere uolunt sufficientiam Sanctorum, ut unus-
 quisque liberius & securius se ad eos conuertat, audi-
 ens, quia respiciunt indigentias nostras & compas-
 sionem habent ad nos, & de bono nostro sollicitan-
 tur, ubi iam non habentes à corpore impedimenta,
 qualia hic existentes habuerunt, possunt in quiete
 melius pro nobis erga Deum agere et dicere, quem-
 admodum Monachi laboriosis hominibus dicere con-
 sueuerunt. Vos propter occupationes uestras Deo
 liberè seruire non potestis, Nos autem parati diu no-
 stris pro uobis orare non cessamus. Ex quibus non
 aliud cogitare possunt simplices, nisi securi esse de
 salute, & seruire diligenter Sanctis, ipsos orare, eis
 Q 6 ieiunare,

ieiunare, incensa succendere, & in festiuitatibus co-
 rum in manus non falcem, non securim, uel aliud in-
 strumentum operis seruilis, sed picarium cum uino
 uel cereuisia benè posse capere. Tales doctrinæ sunt
 ualdè nociuæ & allectiuæ hominum, nec Diabolus
 unquam habuit eis similes pro parte sua, qui sic
 adulterè scirent sub spiritualium rerum specie, &
 ita subtiliter populum à Deo subducere, & in erro-
 ribus perpetuare & asscurare, idè, cum diligentia
 est aduertendum & uidendum, quod istæ persuasio-
 nes & probationes Magistrorum sunt deceptorias
 & stare nõ possunt. Notum enim est, quòd ista pro-
 batio est insufficiens, si Sancti fuerunt potentes, sa-
 gaces, atq; beneuoli in terris ad orandum pro fratri-
 bus miseris: Ergo multò magis corpore exuti, cum
 prima illa uie charitatem non minuit, sed augmen-
 tat. Quia si sic credendum esset, tunc istud nos tene-
 re oporteret, quòd Sancti in carne existentes ad ali-
 quod opus salutiferum impedimentum habuissent,
 ita ut illud ad profectũ perducere non possunt, nisi
 exuto corpore, ubi tunc primò in illo profectum ue-
 rum habere possunt, & maiorẽ ad illud charitatẽ,
 & per cõsequens, quod meliores sint & utiliores ui-
 uis sancti mortui, quàm fuerũt in corpore uiuentes,
 & iuxta hoc tenendum esset, quòd ex quo sancti ibi
 habet actus fructuosiores, tunc et meritoriores, & si
 sic tunc nõ uerè poterimus tenere, quod ibi post hanc
 uitã sit status, locus, & tempus mercedis pro labore
 fructio-

fruitionis. Nec illud sapientis dictū bene stare possit,
 quo Eccl. 9. dicitur: Quodcumq; potest manus tua in
 stanter opari, quia nec opus, nec ratio, nec scientia,
 nec sapiētia erūt apud inferos, quō tu properas, ubi
 monet, quōd homo hīc operetur, q̄a ibi opus nō erit.
 Nec illud Ioan. Apoc. 14. uerificaretur, et audiui uo-
 cē de coelo dicentē mihi: Scribe beati mortui &c. q̄a
 opera eorum, id est, retributio pro operib; sequitur
 illos, ubi requiē post laborē denunciāt. Illa omnia di-
 cta incōuenientia ex eorū probatione sequerentur,
 idēō ne magistri sibi uideātur sapientes in eorū pro-
 batione, recurrendū est ad iudiciū sanctorū, et uide-
 re utrū ipsi sic sentiant, & si uerba Apost. attenderi-
 mus, bene poterimus in hoc intelligere ueritatē. Ipse
 enim hoc bene dijudicat, quando Philip. 5. scribit:
 Mibi uiuere Christus est, mori autem lucrum. Quod
 si uiuere in carne hīc mihi fructus operis est, et quid
 eligam, ignoro, coarctor enim ē duobus, desiderium
 habens dissolui & esse cum Christo. Nam hoc multo
 melius est. Permanere autem in carne necessum est
 propter nos hoc confidens scio, Quia manebo &
 permanebo omnibus uobis, ad profectum uerum, in
 quibus uerbis Apostolus tangit duo, unum bonum
 enarrat quod actum est secum in hac uita, & aliud,
 quod consequi debuit in futuro, ipsi deorat uero
 sibi magis sit proficiuus, & ubi alijs, & conclu-
 dens dicit: Quod mori & esse cum CHRISTO
 melius sit ibi, quantum concernit personam suam,
 id est,

id est, euadere miseras & pericula, & esse in gloria, sed attendendo profectum aliorum, cum dicit, quod uiuere in carne, hic mihi fructus operis est, in quo mereatur & alios in fide edificent & confirmet. Propter quod subdit, permanere autem in carne, necessarium est propter uos ad profectum uestrum & gaudium fidei. Ideo manifestum est, quam partem Apostolus ad profectum uiuorum eligit. Quia manere cum eis in carne. Ex cuius sententia patet, quam infundabiliter Magistri dulcorant hominibus stultis, & de astutia Sathane ignaris Sanctis immediatis, quod utiliores sint sanctis hominibus uiuis post mortem, & quod ibi efficacius querunt bonum. Eorum quam hic existentes quaesierunt, ubi tamen Apostolus determinat oppositum exprimens, quod Sancti utiliores sunt uiuis hic existentes, quam ibi sunt. De hoc autem quod obijciunt, quod illa prima charitatem uiae non minuit, sed augmentat. Et ergo iuxta hanc charitatem ibi magis possunt prodesse nobis, quam hic profuerunt, nec homo potest ei suffragari, habeant Sancti multum uel parum charitatis. Quantumcunque enim charitatis ibi habeant, non habent tamen illam occasionem mediante qua illam uiuis possint ostendere charitatem, et eum carent corporibus & locis, in quibus uiuis illam charitatem ostendere possint eos docendo, praemuniendo in fide, edificando & confirmando, & per consequens illa charitas, quae in eis ibi est maior, quam hic existebat,

mutatis

mutata est in aliud, quàm in illa opera carnalia fati-
 gatione & solitudine plena, in illud uidelicet bo-
 num, quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, quod
 præparauit Deus diligentibus se. Quæ charitas te-
 net Sanctos in illo adepto bono non admittens eis
 habere alium laborem, nisi delectabiliter in bono il-
 lo delectari, & inducere se in illud, et magis esse hoc
 bonum, quàm seipsos. Hæc illa maior charitas ab eis
 habita, quàm hîc habebatur, in eis operatur, Sicut
 ergò labor differt à mercede, ita quòd in labore est
 fletus, in mercede uerò gaudium, sic in homine diffe-
 rens est gratia promerens actualiter gloriam, à gra-
 tia de plenitudine gloriæ satiata, ita ut secunda sit
 retributio primæ, unde si suaue atq; delectabile est
 uindemiare uinum, multò suauius atq; delectabilius
 est ipsum tempore cõgruo bibere, et per consequens
 quamuis ut in prima parte huius tactum est, sancti
 corpore exuti affectum bonum habeant, at nos de
 tanto de quanto ante complementum nostræ pere-
 grinationis carent beatitudine finaliter consumata,
 non tamen uidetur, quod ex officio bonum nobis af-
 fectent, ita quod sint à Deo ad hoc constituti, ut sint
 aptum inter Deum & homines medium sufficiens
 ad hoc, quantumcunq; ex parte Dei & hominum
 indigentium, ut semper sint parati audire preces no-
 stras, & eas suscipiens ab hominibus ad hunc finem,
 ut pro eis intercedant, Quamuis etiam ex fide in
 hac uita existentes orare debeamus pro inuicem, illa

tamen eadem fides non uidetur nobis esse relicta, in
 his, qui iam de hac uita discesserunt, quod uerbis B.
 Hieronymi confirmari potest, & ponitur 18. q. 5.
 in presenti seculo, scimus siue orationibus siue
 consilijs inuicem nos posse adiuuare, cum autem an-
 te tribunal Christi uenerimus, nec Iob, nec Daniel,
 nec Noë rogare pro quoquam posse, sed unum-
 quemque portare onus suum. Hæc ille. Vbi Hierony-
 mus hic tantum homines de iuuamine mutuo orati-
 onis certificat, ibi non nec tantam proprietatem, quo
 ad hoc ibi deiurant in alijs, & per consequens illa
 probatio magistrorum, qua approbare nituntur in-
 uocationem Sanctorum per hoc quod dicunt: Si sancti
 fuerunt potentes, sagaces, atque beneuoli in terris ad
 orandum pro fratribus miseris. Quanto magis corpo-
 re exuti bene stare non possunt. Similiter potest dici,
 quod nec dictum illud magistrorum habet ueritatem quo
 dicunt: Sanctos corpore exutos esse omniscientes, quo
 ad indigentiam nostri status, & quod uideant omnia
 in uerbo tanquam in speculo, & omnes nostras indigentias
 cognoscunt. Notum enim est, quod sancti corpore exuti
 uero omnia noscunt, quamuis non concedendum sit, quod sancti
 aliqua uideant in uerbo & cognoscant ea speciali-
 ter, quæ plenitudinem eorum concernant beatitudinis, sed
 quod omnia uideant et cognoscant, quæ in Deo uel ex-
 tra Deum sunt, hoc non uidetur possibile. Quia sic con-
 cedendum fuerat, quod tantum sicut Deus haberet de
 notitia sui et omnium aliorum, et sic cognoscerent, quo-
 rumlibet

rumlibet damnationē uel saluationē, & Dei occulta
 iudicia, quæ dicuntur abyssus multa, & cuiuslibet cor
 rimaretur, qui solū cōcernunt Deū uerū, alij secun-
 dū mensurā eis cōcessam participant ipsius notitiæ
 Ipse aut̄ omnes alios in notitia præcellit, & plus om-
 niū habet sicut fons indeficiens, à quo iuxta mensurā
 dona eius fluūt in alios. Aliud ergo est Sāctos in cœ-
 lis habere plenitudinē corū propriā, & aliud habe-
 re plenitudinē Dei, cum eius plenitudo eorū incom-
 parabiliter plenitudinē excellat, quā ipsi attingere
 minimē possunt, & istud potest ex scriptura multi-
 pliciter cōfirmari. Primò ex illo Apo. 5. ubi scribitur:
 Et uidi in dextra sedentis super thronum librum
 scriptum intus & foris, & signatum sigillis septem,
 & uidi Angelum fortem, prædicantem magna uoce:
 Quis est dignus aperire librum, & soluere signa-
 cula eius, & nemo poterat, neque in cœlo, neq; in
 terra, neq; sub terra aperire librum, neq; respicere
 illum, & ego flebam. Et sequitur. Et unus de seni-
 oribus dixit ei: Ne fleueris, ecce uicit Leo de tribu
 Iuda aperire librum, & soluere septem signacula
 eius, ubi per librum clausum, quem uidit Ioannes,
 mysteria clausa sancto Ioanni reuelata, intelligun-
 tur, quæ omnia occulta erant coram omnibus, qui
 sunt in cœlo uel in terra, excepto eo, qui sedebat
 in throno, qui dignus fuit aperire, & sancto Io-
 anni diuinitus reuelare. Ex illa scriptura mani-
 feste patet, quòd nec Sancti corpore exuti omnia
 cogno-

cognoscunt, quousq; eis non fuerit ex causis aliquibus reuelata. Hoc idem confirmari potest ex uerbis B. Dionysij in fine libri sui de Ecclesiastica hierarchia. Seruat quòd multa absconsa sunt à supremis Angelis, quæ à sola diuina sapientia cognoscuntur. Et alibi scribitur: Quòd chori Angelorum differentes habent notitias, & dona differentia, & quo inferiores à superioribus suis capiunt illuminationes. Ex cuius uerbis manifestè ostenditur, quòd multa ibi latent etiam supremus Angelus, sed quòd omnino nosse soli conceditur Deo, nec hoc etiam ut uideatur benè potest sustineri, quando Magistri adijciunt, quòd Sancti noscant omnes indigentias nostras. Notum enim est de Paulo, quod de seipso dicit 2. Cor. 12. Scio hominem in Christo ante annos 14. siue in corpore, siue extrà, nescio, Deus scit. Raptum huiusmodi usq; ad tertium cœlum, ubi datur intelligi, quòd Sancti quocumq; ad tantum possunt mente capi, quòd non solum ignorant quid circa alios agatur, sed quid agitur apud ipsosmet, & si Paulus raptus tunc nesciuit, an tunc fuit in corpore uel extrà corpus, nunquid si pro aliquo ab illo deprecatus fuisset, dispositus fuisset ad audiendum ipsius deprecationem. Similiter Exod. 24. scribitur: Cùm descenderet Moyses de monte Synai tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini, per quod datur intelligi, quod consortium sermonis Domini auferri quandoq;

quandoq; aduertentiam aliorum. Hinc Extrav. de
 rescripti. Cum à Deo in gl. de uera inuocat. Sanctior.
 Quod autem dicitur omnium habere memoriã, po-
 tius est diuinitatis, quàm humanitatis. Et per conse-
 quens nõ est hoc certum, sicuti Magistri affirmant,
 quòd Sancti ibi noscant omnes indigentias, & mi-
 serias nostras, unde pensantes dictas scripturas, &
 aliam coassumentes, ubi 3. Regum 8. cap. scribitur:
 Si quis cognouerit plagam cordis sui, & expande-
 rit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo, in
 loco habitationis tuæ, & repropitiaberis & facies
 ut des unicuiq; secundum omnes uias suas, sicut ui-
 deris cor eius, quia tu nosti solus cor omnium filio-
 rum hominum, ut timeant te cunctis diebus, quibus
 uiuant super faciem terræ, quam dedisti patribus
 nostris, unde cognoscere poterimus, quòd Sancti nõ
 sunt sufficientes tenere officium mediatoris aut in-
 tercessoris apud Deum pro peccatoribus, quos ui-
 uentes debeant pro tali intercessione necessario in-
 uocare. Quia ex quo Deus, ut ex immediatè addu-
 cta scriptura habetur, non suscipit preces petentis,
 nisi cor eius & utilitatè uel petite cognoscat. Cum
 attendat circa hoc uias hominis & cor, & si uide-
 rit cor alicuius prauum, & uias eius iniquas, non
 audit eum, quantascunque ad Deum fundat ora-
 tiones, differentes etiam homines & diuersi sunt,
 quibus ex occultis suis iudicijs DEVS uult &
 non uult benefacere. Aliquibus enim non rogatus,
 R. nec ab

nec ab eis cognitus benefacit, & scit ad quid seruat eos, & quare eis benefacit, Alios de terra longinqua uenientes propter nomen suum manum robustam, & brachium extentum, audit & facit curata pro quibus inuocant eum, ut sciant omnes populi nomen suum, ut habetur 1. Paralip. 6. Alios audit uidens eorum futuram conuersionem uidelicet de Cornelio, Actor. 10. cap. Aliquando autem nec suos electos in arduis audit, uidelicet de Apollolo, qui quamuis ter rogasset eum, ut auferat stimulum carnis ab eo, non est exauditus, ad omnia illa Sancti sufficientes non sunt carentes tanta notitia, quantam D E U S habet omnium praedictorum, & ergo officium intercedendi pro peccatoribus apud Deum, non potest bene stare in Sanctis mortuis. Ex quo non possunt tantam notitiam habere cordium praedestinationis, & aliarum differentiarum hominum, quantam habet Deus. Quomodo possunt audire preces aliquorum, & pro eis intercedere, qui forte ex eis dubio sunt de damnandis, uel forte intercederent pro aliquibus, sicut mater filiorum Zebedaei, quibus responderet Deus: nescitis quid petatis, & per consequens, ex quo solus Deus noscit corda hominum, nos latet, & si uoluerimus Sanctos inuocare, nescimus, si ipsi audiunt uel cognoscunt preces nostras, cum Psal. 63. Propheta Deum inuocans dicit: Tu Pater es noster, & Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos.

Vbi Glos. Augustinus dicit: quod mortui etiam in Sancti nesciunt, quid agunt uiui. Et ad regem Iosiam dicitur 4. Regum 22. capit. Idcirco quia fleuisti coram me, colligam te ad Patres tuos, ut non uideant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum in locum istum, quod non fieret, si ipse post mortem cognosceret, quæ mala euenire debuerunt genti suæ. Hinc est, quod Augustinus in tractatu de anima & spiritu scribitur: ibi quidem sunt spiritus defunctorum, ubi non uident neque audiunt, quæ aguntur aut eueniunt in uita hominibus: Ita tamen quod cura est eisdem de uiuis, quanquam quod agant omnino nesciant. Quemadmodum cura est nobis de mortuis, quamuis quod agant, omnino nescimus, nesciunt quidem mortui quid hic agatur, sed dum agitur possunt audire ab eis, qui hic moriendo ad eos pergunt, non quidem omnia, sed quantum eis finitur indicare, & eos oportet audire, sicut etiam possunt ab Angelis, qui hic præsto sunt nobis, & animas nostras ad illos etiam Spiritu sancto reuelante cognoscere possunt, quæ aguntur. Ergo necessum est eos cognoscere. Hæc ille.

Ex quibus scripturis & dicto beati Augustini potest cognosci stultitia & temeritas eorum, qui ita temerè sine fundamento scripturæ ad tantum dictas Sanctorum inuocationes promouere.

A P O L O G I A
RESPONSIO AD AVTHORITA-
tes Doctorum, quas Roken-
zana pro inuocatione
Sanctorum ad-
ducit.

C A P V T XLIII.

Ostenso quod nulla scriptura super quibus
magistri fundare nituntur inuocationes san-
ctorum eorū seruit proposito, facilis potest
esse responsio, ad eorū authoritates Doctorum, quas
in hac materia M. Ioan. Roken. adducit, pro quibus
notandum, quod ubi ueri Doctores tangunt, quod
sancti corpore exuti iuuant nos orationibus suis,
hoc retorquendum esse uidetur ad orationes, quibus
in hac uita existentes orabant Deum, Quibus hoc
iuuant, sicut & gestorum suorum confirmant atq;
hortantur exemplis, & illum sensum ipsemet Rok.
adducit in Omel. 26. super numeros ubi sic scribit:
Quis enim dubitet, quod Sancti, quiq; primū &
orationibus nos iuuent, & gestorum suorum con-
firmant atq; hortentur exemplis, sed & uolumini-
bus suis, quæ nobis ad memoriam scripta relique-
runt, docentes nos & instruentes, quomodo aduer-
sum inimicas potestates dimicandum sit, & quomo-
do agonum toleranda certamina. Pugnent ergo pro
uobis

nobis & ipsi incedunt primi ante nos armati. Ipsos enim nos habentes ad exemplum & uidentes eorum per Spiritum fortia facta, armamur ad praelium spirituale, & aduersus spiritualia nequitiae in coelestibus dimicamus. Hæc ille.

In quibus uerbis Origenes per aduersarium allegatus ostendit, quod ubi dicit Sanctos orationibus nos iuuare, intelligit orationes, quas sancti nobis ad orandum Deum in exemplo reliquerant, ut eos in talibus imitemur. Cum in hoc est credendum, & eò magis in testimonium suscipi debet, quo ab aduersario allegatur, & quod ille ibi sit sensus Origenis potest confirmari ex illo eius scripto, quod Omel. 3. super Iosue scribit, & allegatus est, per nos in prima parte huius, capite ultimo, de materia inuocationis Sanctorum, ubi exprimit quomodo in auxilium nobis ueniunt illi, qui ante aduentum Domini nostri Iesu Christi in lege iustificati sunt, ubi uideatur materia, & patebit iste sensus quem præmisimus Origenis. Vbi autem Doctores tangunt, quod Sancti exuti corpore orant & intercedunt pro nobis, hic intelligendum uidetur, quod ipsi affectum bonum habent ad nos, in quantum nobis unum existentibus, cum illis, nos sine illis & ipse sine nobis consummatam non consequuntur beatitudinem, & quod ille sensus sit capiendus talium authoritatum Sanctorum potest planè elici ex dicto Origenis Omel. super Leuit. per nos in prima par-

te huius capit. ultimo materie inuocationis Sancto-
rum allegato. Ad quem sensum & illa eiusdem
Origenis autoritas potest capi, quam aduersarius
adducit pro se, ubi Omel. 6. super Iosue scribit
propè finem: Ego sic arbitror, quod omnes illi
& adiuuent nos suis orationibus, &c. Vbi Ori-
genes illam inculcare uidetur sententiam, quod
Sancti adiuuant nos orationibus suis, id est, bonum
effectum habent ad nos, in quantum norunt De-
um pro nobis dissonere, quod ante complemen-
tum nostræ peregrinationis nec beatorum nume-
rus, nec eorum beatitudo erit finaliter consumma-
ta, & hoc potest ex uerbis ipsiusmet Origenis
cognosci, quod loquitur ad hunc sensum, quem im-
mediate ante uerba, quæ allegantur ab aduersa-
rio, exprimuntur, quæ ipse omisit. Scribit enim
sic: Hi ergò qui secundum legem uixerunt, pro-
mi acceperunt hereditatem, sed extra terram pro-
missionis, Tamen demum cum accepissent terram
hereditatis, non eam possident neque diuidunt
inter se, sed expectant usque eis per Iesum distri-
buatur in sortem. Nonne euidenter est hoc, quod
beatus Apostolus Paulus scribens dicit ad Hebræos
de prioribus Patribus, quos dicit fide placuisse Deo,
& addit dicens: Hi autem omnes testimonium ha-
bentes per fidem, nondum consecuti sunt repro-
missiones Deo pro nobis aliud melius prouidente,
utique

utique sine nobis perfecti efficerentur. Habent igitur iam repromissionem suam, & requieuerunt, & digni habiti sunt per Moysen capere hereditatem, ueruntamen adhuc & ipsi pugnant, & in concertamine sunt pro ijs, qui sub Iesu Christo Domino nostro militant. Ista sunt quæ scribit Origenes, quæ Magister Ioannes Rokenzana omisit, & tunc sequitur, quod ipse allegat, Ex cuius dictis precedentibus quæ ipse omittit, patere potest sensus sequentium eius uerborum, quæ per aduersarium truncatim sunt recepta, quale uidelicet eorum sit iuuamen, quo iuuant nos in orationibus suis. Quia affectus, quem habent ad suæ perfectionis consecutionem, qui quantum hoc bonum sibi ibidem existentes desiderant, tantum bonum nobis affectant, sed quod pro illo suffragio & bono affectu, quem habent ad nos Sancti, debeant à nobis necessario inuocari, hoc non exprimit Origenes, per aduersarium allegat u, Nec nos dato, quod Sancti orent pro nobis hoc impugnamus, sed non dicimus eos à nobis pro illis orationibus inuocandos, Quia aliud est Sanctos pro nobis orare, & aliud nos Sanctos pro sic orandum pro nobis inuocare, & hinc quamuis Origenes in auctoritate per aduersarium allegata exprimat, quod Sancti, qui dormierunt ante nos, iuuent nos orationibus suis, non tamen exprimitur, quod

ipsi pro illo iuamine à nobis debeant inuocari, sed notanter docet DEVM in adiutorium inuocandum, quando post uerba per aduersarium allegata eandem concludens auctoritatem, Origenes ita scribit: Ita ergò & nos fidem plenam, opera perfecta, indefinentes orationes, meditationem diuini uerbi, intelligentiã spiritualem tollentes, & illis omnibus uelut armis Dei muniti stemus aduersus astutias Diaboli, inuocantes Deum adiutorem nostrum in Christo Iesu Domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Hec ille.

Non sine causa aduersarius principium & eandem auctoritatis, quam allegat, amputauit, ne uerus eius sensus à legentibus inuestigetur adhuc in maiorem huius confirmationem, quod uidelicet affectus Sanctorum bonus, quem habent ad nos, propter suæ perfectionis affecutionem, intelligatur per orationem Sanctorum, quam dicunt orare pro nobis. Et Beda in Omel. super illo Ioannis 16. capite. Illo die in nomine meo petetis, per Rokenzanam allegatus, qui sic scribit: Possumus horam, qua pollicitur in futura uita intelligere, ubi ueraciter in nomine IESU petunt electi, dum pro nostra fragilitate intercedunt, quatenus ad suæ saluationis sortem pertingamus, à qua adhuc inter insidias hostiũ peregrinamur in terris, quam Sanctorũ petitionem apertissimè in die futura promisit. Illo inquam die
in nomi

in nomine meo petetis, in die etenim petunt. Quia non inter tenebras pressurarum, ut nos, sed in luce sempiternæ pacis & gloriæ, beatorum spirituum se pro nobis intercessio fundit. Hæc ille.

Ex cuius uerbis potest uideri, quòd ipse orationem Sanctorum, quam pro nobis orant, retorquet ad effectum eorum, quem habent ad hoc, ut eorum saluationis sortem pertingamus, quam scilicet consummatam non habent sine nobis, & quod ille eius sit sensus, potest patere ex eiusdem doctoris uerbis, qui alibi expressius inculcat illam sententiam, cum in Omel. super illo: Si quid petieritis patrem in nomine meo ita scribit: Possunt autem spiritus electorum, in illa cœlesti ciuitate positi, etiam pro se ipsis in nomine Saluatoris petere, intelligi, quia uidelicet tempus uniuersalis iudicij & resurrectionis eorum, in quibus pro Domino certauere, uenire desiderant, unde Ioannes ait: Vidi sub altari Dei animas intersectorum propter uerbum Dei & propter testimonium, quod habebant & clamabant uoce magna, dicentes: Usquequò Domine sanctus & uerus non iudicas, neq; uindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra, ubi continuo subinfertur, & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, ut requiscerent tempus adhuc modicum, donec complerentur conserui eorum & fratres eorum, singulas quippe stolas albas nunc habent anime, cum stola sua felicitate fruuntur, Binas

tunc accipient cum impleto in fine numero fratrum
corporum quoq; immortalium receptione letantur.
Hæc ille. Ille tres autoritates supra dictæ, quas Ro-
ken. pro se allegat, una Origenis Omel. 26. super Nu-
mero, alia eiusdem Omel. 16. super Iosue, & tertia
Bede in Omel super illo Ioannis 16. Illo die in nomi-
ne meo petetis, non pro eo militant, sed pro nobis,
& secundum hoc possunt & aliæ multæ autoritates
doctorum per eum allegatæ, quæ de oratione, suffra-
gio uel intercessione sanctorum corpore exutorum,
quibus nobis suffragantur, faciunt mentionem, intel-
ligi, quòd loquantur ad hunc sensum, & per conse-
quens multæ sunt autoritates ex illis, quas pro inuo-
catione sanctorum allegat, quæ nihil faciunt ad pro-
positum de numero, quarum est Orig. quem allegat
Omel. 5. 10. & 20. super Numero & Omel. 10. super
Hieremia. De numero illarum etiã autoritatum, quæ ni-
hil faciunt pro inuocatione sanctorum est Aug. quem
allegat in fine in sermone de natiuitate scilicet Ioseph
Baptistæ, & in libro supputationum parte quarta in
fine, de numero illarum est Ambrosius, quæ allegat
lib. 2. & lib. 8. supra Lucam & est Chrysost. quæ in qua-
dam epistola allegat, est & Richardus quæ allegat su-
per canone missæ. Quæ omnes autoritates si ueraciter
& diligenter pensentur, nihil faciunt pro inuo-
catione sanctorum. Non ergò gloriatur aduersarius,
quòd tam multas autoritates doctorum sibi non ad
suum seruientes propositum, in unum inuolucrum
faci

satis dispendiosa prolixitate compegit, putans forte, non tantum prudenti utilitate, quantum tumultuosa multitudine uerborum proficere. & undecumque sibi succurrendo etiam impertinentibus adductis fidem cupiens simplicibus adgignere creditum. Aliqui autem doctores sunt, quos ipse pro suis inuocationibus sanctorum adducit, qui quamuis in aliquibus locis ex proprijs forte, uel aliorum loquētes opinione uideantur loqui pro parte inuocationis sanctorum, alibi tamen melius prospicientes, & fundamentis scripturæ innitētes, aliter scribunt, ut patet de B. Gregorio. qui quamuis in Omel. super illud Euangelij: Si quis uult uenire post me etc. pro ut ipsum allegat Rokenz. scribit, & præter fundamentum scripturæ, exprimat, ut in causa nostri examinis, quam cum districto iudice habemus patronos, faciamus & in die tanti terroris, illius defensores adhibeamus, Ad hoc inducens manuductiuum exemplum, quod si caput quendam magnum iudicem causa quælibet nostra esset die crastina uentilanda, nonne totus hodiernus dies in cogitatione duceretur, patronus quæreretur, magisq; precibus ageremus, ne apud tantum iudicem nobis defensor adueniret, tamen alibi melius prospiciens, & fundamento scripturæ innitens, lib. 22. moralium tractans illud Iob capite 31. Quis mihi tribuat adiutorem, ut ipse desiderium meum audiat, ita scribit beatus Iob per totius Ecclesiæ significationem loquens. Sciebat quod

quod ad liberationis æternæ requiem humane preces, nisi per aduocatum audiri non possent, de quo per Ioannem Apostolum dicitur: Si quis peccauit aduocatum habemus apud Patrem IESVM Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro uno tantum, sed etiam totius mundi, de quo Paulus Apostolus dicit: CHRISTVS IESVS, qui mortuus est pro nobis, imò & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis, & infra ad propositam dicit: adiutor ergò queritur, ut desiderium exaudiatur. Quia pro nobis, nisi interpellatio mediatoris intercedat ab aure Dei proculdubio nostrarum precum uoces silerent. Hæc ille.

Hæc Gregorius fundabilius loquitur, unicum mediatorem, scilicet interpellatorem certum & sufficientem demonstrans Christum, quem ibi in auctoritate eius per Rokenz. allegata, ubi patronos & defensores sanctos nobis suadens facere & querere exemplum familiare, quod præmissum est ad hoc inducens. Per quod exemplum non benè potest inuocatio Sanctorum stabiliri. Hinc est, quod B. Ambrosius exemplum simile redarguens, super illo Rom. 5. dicentes se sapientes, stulti facti sunt, ita scribens, solent pudorem passi, neglecti Deo miserti uti excusatione, dicentes: Posse ire ad Deum sicut per comites peruenimus ad Regem, esto, nunquam tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut bono-

honorificentiam Regis uendicet comiti, cum de hac re, si qui etiam tractare inuenti fuerunt, iure ut rei damnantur maiestatis, & isti se non cogitant reos, qui honorem nominis Dei deserunt creaturae, & relicto Domino conseruos adorant, quasi sit aliud, quod plus reseruetur Deo. Nam ideo ad Regem per tribunos ac comites itur, eam homo utiq; est Rex, & nesciat, quibus debet Remp. credere, ad Deum autem promerendum, quem utiq; nihil latet. Omnia enim merita nouit, suffragatore non opus est, sed mente deuota. Vbicunq; enim talis ei locutus fuerit, respondebit illi. Hec ille.

Ex cuius uerbis patet, quod non conuenienter solet allegari exemplum pro stabilitone inuocationis Sanctorum, quo dicere solent, Quod sicut praesise coram Rege terreno ipso irascente, alij non sic irati pro aliquo intercedunt, iram eius erga ipsum mitigantes, quod sic fiat coram Deo, quod Sancti minus quam Deus irascentes peccatori, iram eius erga peccatorem mitigarent, pro quo abuiantibus debeant necessariò inuocare. Idem potest dici & de doctore Eudangelico, qui quamuis in sermone: Maria optimam partem elegit, ubi ipsum allegat Rothenz. uideatur pro parte inuocationis Sanctorum loqui, quando inter caetera scribit, qualiter ad hoc, quod beata uirgo sit procuratrix uiantium requiritur, quod sequantur eam in moribus, & quod impossibile est nos praemiari sine Mariae suffragio, hoc
per.

per illud suum dictum, ut uidetur intelligens quod ipsa occasionaliter omnib. generaliter suffragatur. Quia dicit ipsam fuisse quodammodo causam incarnationis & passionis Christi, & per consequens totius saluationis mundi. Tamen euidentius in hac materia suam exprimens sententiam, quid ex fide scripturae finaliter sentiat de inuocatione sanctorum, in suo dialogo, prout ante B. in prima huius parte i. cap. huius materiae extitit allegatus scribit, Quod certum est ex fide, quod oportet mediatorem Dei & hominum CHRISTVM IESUM, si aliquid à Trinitate concedi debeat, per orationem cuiuscumq; alterius mediare, & quod foret expediens, Christum simpliciter inter homines adorari, & quod non oportet ad captandum eius colloquium sanctos ceteros mediare, & quod stultus foret, qui alium intercessorem quæreret. & quod quondam in Ecclesia primitiua singulariter oratio directa fuit ad illam personam mediam, pro adiutorio spiritali. & quando sic fuit, quod tunc plus profuit, & creuit Ecclesia, quam facit modo multis intercessoribus adiuuentis. Hec ille.

Ex cuius eximij doctoris uerbis euident, quod ipse ex fide scripturae & estimationem multorum probabilem de inuocationibus sanctorum asseruit. Non ergo multum Rokenz. cum illo gloriatur, nec in hoc sibi suffragatur, ubi dicit ipsum non damnare orationem & sanctos, illam, quae attendit & prepa-

preparat ad Christum amandum, quando antè uerbo per nos immediatè superius allegato scribit, quod Ecclesia nostra rationabiliter habet hanc consuetudinem, quod quemcunq; Sanctum orauerit, sermonem ad Christum Deum dirigitur, non ad illum sanctum principaliter. Hoc enim quando dicit: Quemcunq; Sanctum orauerit, sic est intelligendum, id est, in commemorata ratione Sanctorum orationem ab Ecclesia usitatam, de aliquo dixerit, sermonem ad Christum Deum dirigit, non ad illum sanctum principaliter, Hoc uerum est, quia nulla oratio in toto Missali inuenitur, quæ in commemoratione sanctorum ex institutione Ecclesiæ solet dici, quæ dirigetur principaliter ad aliquem sanctorum, sed ad Deum omnes diriguntur, uidelicet transcurrendo omnes illas orationes, & per consequens, nihil hoc dictū doctoris Euangelici facit ad propositū Rok. sicut nec illud, quod per se allegat lib. suo decalogi, sup illo præcepto: Memento ut diem Sabbathi sanctifices, & consequenter multæ aliæ autoritates sanctorum, quas allegat, essent pensandæ. Quia nihil faciunt pro inuocatione sanctorū, si originalia habere-mus præ manib. unde eas trahit, appareret sensus alius in multis, q̄ quæ habuerit ex illis, nihilominus tamen si qui sunt doctores, quos Rok. pro inuocatione sanctorū adducit, & sic sapiant, sicut ipse eos intelligit. Quia ut sic carent fundamēto scripturæ, idè in hoc suscipiēdi nō sunt, quia supius 3. c. huius 2. partis ostensum

ostensum est ex autoritatibus Sanctorum, quòd dicta sanctorum doctorum post Apostolos, non sunt accipienda ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum, nec sententiæ eorum sunt acceptanda uel admittendæ, nisi de quanto in ipsis Christus loquitur, & de quanto uerè & directè fundari poterunt in lege expressa Domini nostri: Iesu Christi.

CAPVT XLIII.

EX quibus omnibus fideliter suprâ scripta aduertenti patere potest, quod nullum fundamentum M. Ioannis Rokenz. cum sibi adhaerentibus, super quo fundare nititur, stare potest, & per consequens, nihil per grauem suum labyrinthum contra nostram benè in petra fundatam sententiam effecit, nec in minimo ipsam ueraciter improbauerit, quamuis leuiter, & ut ita dicamus, taliter qualiter non ex lege Domini, nec ex autoritatibus sanctorum doctorum, se in eadem ueraciter fundantium, ad scripta nostra responderit, nec hoc est in deturbationem causæ nostræ, nec in nostram inculpabilem accusationem, sed magis in excusationem nostram & causæ nostræ in hac materia, confirmationem maiorem, quòd Ioan. Rokenz. in principio tertiæ culpæ, quam nobis obiecit, scribit, quòd non sit nouum dogma de non astruptione pro fide articulo dictæ inuocationis Sanctorum, sed anti-

quam & nostris temporibus renouatum, quamuis
 a modernis in Vigilantio pro errore condemnatum,
 quem Hieronymus de hoc uidetur reprehendere,
 qui dicat in libello suo: Quod dum uiuimus mutuo
 orare possumus, postquam autem mortui fuerimus,
 nullius pro alio sit exaudienda oratio, cum martyres
 ultionē sui sanguinis obsecrantes, impetrare nequi-
 uerunt, qui quamuis pro errore habendus sit, si &
 de quanto aliquid pertinaciter asseruit ueritati con-
 trarium, non tamen ex hoc pro tali habendus est,
 si inuocationem Sanctorum pro fidei articulo non
 promouerit, cum hoc tenendo non uidetur alicui
 scripturæ expressè aut alicuius doctoris sancti sen-
 tentiæ se ueraciter in eadem fundantis contraire,
 sed cum Ecclesia Græca concordare, quam pericu-
 losum uideretur cuiquam damnare, quò ad hanc
 Sanctorum inuocationem, quam, ut dicitur, ipsa mi-
 nimè tenet, cum ipsa sit immediata Apostolorum fi-
 lia, ut in antecedentibus dictum est, & mirabile ui-
 detur, quod Hieronymus de suprâ dicta sententia
 Vigilantium redarguat, cum ipsemet, ut 13. q. 3. ha-
 betur, scribat, in præsentī sæculo scimus, siue orati-
 onibus, siue consilijs inuicem nos posse iuuare, cum
 autem ante tribunal Christi uenerimus, nec Iob, nec
 Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed u-
 numquemq; portare onus suum. Hæc ille.

Propter quod M. Ioan. Rokenz. cum sibi adhe-
 rentibus timens, ne in promouendo inuocationes

Sanctorum seu orationes ad eosdem, sic notabiliter
 crimen idolatriæ tituletur, strictus rationib. in scri-
 pturis, se impugnantium moderatur dicta sua, quan-
 do in principio culpæ tertiæ nobis obiectæ, inordina-
 tas inuocationes Sanctorum reprehendere se dicens
 articulum speciale in hac materia fabricat, & e-
 um exprimit sub hac forma: Credimus & ex scri-
 ptura comperientes tenemus, quod Sancti in cœlis
 Christianis hic fidelibus suis orationibus & charita-
 tiuis auxilijs, pro capacitate siue eorum dispositio-
 ne suffragantur, quorum fideles possunt licitè sus-
 fragia postulare, & ex ore pro auxilio & interces-
 sione, circa hoc tamen cultum latriæ soli Deo debi-
 tum eis non impendentes, sed in moderamine prout
 decet, ad Sanctos se habere ad eosdem habentes, &
 quicquid deordinati foret respectus ad Sanctos, &
 supra mensuram postulationis hoc abijcientes, ubi
 timens notabiliter confundi non audet negare, quan-
 do solus Deus est orandus, sed ne per hoc uideatur
 à suo Sanctorum inuocationis proposito cedere, ad-
 dit, quod Sancti sunt postulandi, & exorandi pro
 auxilio & intercessione, non quod ipsos simpliciter
 pro illo postulemus & exoremus, sed ut affectus no-
 ster ad eos ad hoc dirigatur, ut nos, quia ex se indi-
 gni sumus exaudiri, adiuuent nostras orationes co-
 ram Deo, & in eo adhuc semper uolens uideri iustus
 coram hominibus, se munit, quando in fine addit.
 Circa hoc tamen cultum soli Deo debitum eis non
 imper-

impedentes, sed in moderamine pro ut decet ad sanctos se habere ad eosdem habentes, & quicquid deordinati foret, respectus ad sanctos & supra mensuram postulationis hæc abijcientes Rokenz carens in materia inuocationis Sanctorum fundamento fidei, nescit in quo se debeat stabilire, sed nunc sic nunc aliter sua opinatiua muniens, fabricat uerba, ne simpliciter à simplicibus capiatur, & in hoc uidetur in oculis suis multum prudens, quòd nunc in articulis suis ponit: Credimus ex scriptura comperientes tenemus, & nunc obmittendo illa uerba credimus, & ex scriptura comperientes ponit, simpliciter tenemus, & minimè in eisdem articulis ponit, Credimus quòd fideles possunt licitè suffragia Sanctorum in cœlis postulare & exorare pro auxilio & intercessione. & nunc ponit: Tenemus, quòd possunt fideles licitè suffragia sanctorum in cœlis postulare iuxta doctorum sententias, ut p̄ hoc se de numero illorum esse denunciât, quos Chrysostr. arenae cõparat, propter hoc quòd nunquam unum sapiunt, sed p̄ diuersas sunt opiniones dispersi, quemadmodum nec grana arenae sibi conueniunt, aut sibi inuicem adherent, sed ne in his sibi prudens esse uideatur, quamuis hic propter antiplanationem, paucis tamem occasiones intelligentiæ legentibus dabimus, quòd & ipsi faciât quòd scriptum est, ut his auditis sapiens sapientior fiat. & occasiõem sapienti & sapientior fiet examinãdo, si ex fide script. deduci

bile sit, quòd Sancti corpore exuti hic à fidelibus
 modo quo docet Rokenz. Licite possint aut debe-
 ant pro auxilio eorum & intercessione orari & po-
 stulari etiam & cum moderamine atq; mensura per
 cum in eis articulis expressatis, & uidetur, quòd
 hoc primò ex scriptura ueraciter deducibile non
 est, quòd Sancti corpore exuti sint postulandi &
 exorandi pro auxilio & intercessione sub ista con-
 ditione, ut non ipsos pro illo simpliciter postule-
 mus & exoremus, sed ut effectus uiantium in ipsos
 ad hoc dirigatur, ut quia nos ex se indigni sumus ex-
 audiri adiuuent orationes nostras coram Deo. Quis
 qui secundum illam eorum doctrinam sic adulescit
 orare Sanctos, ille incipiens orare Deum, oportet
 Sanctos in auxilium querere, ex hoc, quia ipse est
 indignus, & in orando nihil proficeret sine illis, sed
 modici ualoris uidetur esse talis oratio, in qua ho-
 mo orans, ex se spe exauditionis caret, nisi Sancti
 adiuuerint intercedendo. Non sic Christus docet
 orare, cum ipse doceat orare patrem cum humilitate
 leuatione mentis ad eum, ex fide boni saluatoris, &
 confidentia filiali præsupsita fide & spe exaudi-
 tionis, quando Matth. 11. dicit: Habete fidem Dei, &
 men dico uobis, Quia quicumq; dixerit huic mor-
 ti tollere & mittere in mari, & non hesitauerit in
 corde suo, sed crediderit quodcumq; dixerit, fiet ei
 propterea dico uobis: Omnia quaecumq; orantes pe-
 titis, credite quia accipietis & fiet uobis. Proce-
 dent

dem est & iacobus in Cano. cap. 5. ubi dicit: Si quis
uestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat
omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur
ei, postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui
enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento
mouetur & circumfertur. Non ergò existimet ho-
mo ille, quòd accipet aliquid à Domino, istæ ualdè
euidentes & planè certæ & ueræ doctrinæ sunt,
Christus enim fideliter docet, ut homo uolens orare
Deum, fundat orationem suam super fide, quòd ui-
delicet accipiet illud, pro quo orat Deum, & quòd
illud per fidem quam de hoc habet sibi dabitur etiã,
sine intermissione aliorum, & similiter iacobus pu-
blicè docet orare Deum, & hoc cum confidentia,
& nihil hæsitare exprimens, quòd uana est oratio
sine fide & cum hæsitatione. Quia pro illa nihil da-
bitur homini, cum non sit spes, quod ille aliquid in
oratione obtineat, qui orando credit aut confidit
sanctis & in Deo, non reddent Magistri rationem de
ista conficta prudentia, eò quòd per hanc eorum do-
ctrinam quandam in orando in corda hominum ua-
cillationem iniiciunt. Concedentes enim orationem
debere fieri Deo submitunt hominum indignita-
tem, & propter illam Sanctos de nouo pro adiuto-
rio querere docent, & sperare eos in eorum inter-
cessionem faciunt, aliàs se credentes ob propriam in-
dignitatem non exaudituros sine illa. Christus au-
tem docet orare patrem, & non expressè Sanctos

corpore exutos, etiam qui in peccatis fuerit, ut dimittantur, quando in oratione Dominica præcipitur sic orare: Dimitte nobis debita nostra, quòd si Deus orantibus se sine auxilio & intercessione aliorum, per se peccata non dimitteret, nunquam sic orare doceret, unde triplices peccatores seu indigni reperiuntur in Scriptura. Quidam sunt impoenitentes, & in malo pertinaces, illos Deus etsi multum ad eum clamauerint, uel alij quicunq; sanctorum pro eis orauerint, non audit Esaiæ 5. Et cum extenderitis manus uestras auertam oculos meos à uobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. & Ieremiæ 15. Dixit Dominus ad me, si steterint Moyses & Samuel coram me. Non est anima mea ad populum istum, & ad hunc sensum cæco nato Pharisæi dixerunt, Ioan. 9. Deus peccatores non exaudit, aliquid quando sunt poenitentes, & illos Deus cum orauerint ipsum per se, etiam sine intercessione aliorum audit. Patet de Publicano Luca 18. & de Seruo, cui omne debitum dimisit, cum rogasset eum, Matthæi 18. Alij sunt ex fragilitate peccatis leuibus peccantes sepius præter uoluntatem propriam, qualiter & Apostoli, Spiritum Dei habentes, dixerunt: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Illos etiam per se orantes audit, dicens eis Matthæi 6. Orantes autem nolite multum loqui, scit enim Pater uester quid opus sit uobis, antequam petatis eum. Illis prohibet

habet multum loqui, quia faciliter eos audit, qui cō-
 minus intercessione indigent aliorum. Quia tales
 priusquam petat, audit. Ex quibus patet, quod De-
 us maximos peccatores, uerè ad se conuersos etiam
 sine intercessione aliorum audit, & quem ex se
 propter eius indignitatem non audit, nec aliquem
 sanctorum pro eo audit. Si autem Deus audiret ali-
 quem propter intercessionem aliorum pro eodem,
 & intercessio eius coram Deo pro illo proficeret,
 & hoc & idoneitas ipsius, pro quo petitur, requi-
 ritur. Et si idoneitas eius affuerit solus sine interces-
 sione aliorum, sibi poterit apud dominum impetra-
 re. Quòd si intercessor necessarius sit, ille non uide-
 tur alius esse, nisi unicus & solus, certus, uerus &
 sufficiens aduocatus Christus Iesus, de quo 1. Ioan. 2.
 de quo multus sermo in prima parte huius præcessit,
 & hæc fuit fides quondam fidelium adhuc ante ascē-
 sionem Domini, anteq̃ intercessio sanctorum callidè
 fuit introducta, quando nec adhuc aliquis sancto-
 rum, qui corpus gustauere fuit in caelo, & hodie hæc
 eadem fides sufficeret hominibus, quibus sufficeret
 doctrina Euangelica, & qui non essent taliter per-
 adinuentas nouiter intercessionibus sanctorum fasci-
 nati, & per consequens, non uidetur sana doctrina
 Rok. ponere tantam uim in intercessione sanctorum,
 concedendo orationem debere fieri Deo, interpone-
 re indignitatem homini, & propter illam sanctos de
 nouo pro adiutorio & intercessiōe querere, & alios
 se non

se non exaudituros credere sine illa, per quod fides
 & spes ad Deum omittitur & reflectitur ad San-
 ctos, & committitur peccatum occulti recessus à Deo
 in tali oratione & inuocatione Sanctorum, & spo-
 liatio Dei de eius gloria, cum homo non credens se
 propter indignitatem propriam à Deo exauditur-
 rum, nisi per interpositionem Sanctorum ipsis san-
 ctis corde afficitur, cum confidentia & affectu sub
 illa conditione, ut pro ipso intercedatur, & quanto
 libentius uelit habere id, quod ab eis affectat, tanto
 plus afficitur. Conuersus autem ad Deum in oratio-
 ne propter propriam indignitatem non habet con-
 fidenciam ex se, quod audiatur, licet multa sentiat
 de eius immensa bonitate, & ideo illuc homo mente
 conuertitur, ubi profectum sperat, & rem fru-
 stratoriam reliquit. Et hæc est magna peruersitas
 concedere orationem debere fieri Deo, & postea
 retrahere ab illa ad Sanctos, & per hoc uituperat-
 tur & contemptu datur oratio Deo facta, & popu-
 lus constituitur in spe intercessionis Sanctorum, &
 illa iam intercessio pro oratione manebit hominum,
 & sic creaturæ attribuetur hoc, quod soli debetur
 creatori. Ista fideliter declararentur hominibus
 peccatores impoenitentes, non ponerent spem in
 intercessione Sanctorum, poenitentibus uero spes
 relicta staret in Deo, & non sic inuoluerentur
 homines per incerta, & hoc mouit Doctorem Eu-
 angelicum dicere, ut in anterioribus tactum est,

quod

quod foret expediens Christum singulariter inter homines adorare, quia ipse est mediator & intercessor optimus, paratissimus, quo ad utrumq; extremum & benignissimus ratione charitatis & misericordiae infinitae. Stultus ergo foret, qui alium intercessorem quaereret infra, Christus enim est semper uiuens apud Patrem ad interpellandum pro nobis est paratissimus, illapsus in mentem cuiuslibet uiuatoris, qui eum dilexerit, unde non oportet ad captandum eius colloquiū sanctus alius mediare, cum sit benignior & pronior ad adiuuandum, quam aliquis eorum, & monet quod mens uiuatoris ex multitudine beatorum, quos orat, dispergitur, cum affectio à Christo laxatur eò quod tantum est finita, & per consequens remittitur, cum sit in plures sic dispersa. Hæc ille.

CAPVT XLV.

Am restat secundò uidere, quod stante doctrina & promotione inuocationis Sanctorū modo quo M. Ioan. Rok. cum sibi adherentibus illas promouet, nec illud sibi suffragatur, aut ab inordinato cultu Sanctorum excusat, quod in fine articuli sui addit, circa hoc tamen cultum soli Deo debitum eis non impendentes, sed in moderamine prout decet se ad Sanctos habere, ad eosdem habentes, & qui quid deordinati foret, respectus ad Sanctos et super men-

*jurā postulationis hoc abijcientes, ubi uolēs semper
 coram hominib. apparere. iustus in materia dictarū
 inuocationū scuto quodā fucato se munit & prote-
 git, Vnde secundū hoc dictū ipsius necessariū foret
 cuilibet in sic inuocando Sanctos, se in tali proporti-
 one formare, ne in hoc à recta exorbitet uia. Cū ut
 sic ad duo quilibet talis debet attendere, ad Deū sci-
 licet & Sanctos, ex parte. n. Sanctorum debet primò
 attendere, ut postulet & exoret eos pro suffragio et
 intercessione, secundò ne ultra mensurā postulationi-
 nis in affectu toto corde in eos effluat, ex parte autē
 Dei primò attendere debet hoc, quod ipsum debeat
 orare, & secundò cogitare sup propria indignitate
 quæ orationē impedit, & si semper mens uiatorum
 quoad hoc esset diuisa & remitteretur, cū sic in
 plura sit dispersa, magistri licet pulchra uerba furi-
 dunt, sub illis tamen occultè procuratur recessus à
 Deo, et errores sub illis aduersariorū circa hoc diuini-
 tenti pericula cōfirmātur, q̄ libèter uerba per magi-
 stros cōficta amplectūtur, audiētes ipsos promouere
 inuocatiōes sanctorū, nō quod attendūt mensurā uel
 moderamē in talib. magistrorū, sed in cōfirmationē
 sui antiqui erroris ea captāt, ut in eo perpetuentur.
 Quia quādo aduersarij prædicāt, sanctos habere po-
 testatē, se pro peccatorib. corā Deo opponēdi, et sen-
 tētiā Dei quā ipse fert in peccatores per intercessio-
 nes suas pro quib. inuocaretur immutādi, & quādo
 insuper aduersarij sanctos nominibus Deo proprijs
 uocant;*

uocant, & ea, quæ solius Dei sunt ab eis querere insinuât, & sp̄e in eos ponere docēt, & diuersas infirmitates corporis eos fatētur possidere, et magistri in his eos sequuntur, et omnia illa excusant, nō uidemus, qualiter illa mēsurā uel moderamē quod circa tales inuocationes sanctorū magistri in articulo suo adiiciūt à crimine idolatriæ, & ab inordinato cultu sanctorū ipsos possint excusare, ut inferius lucidè apparebit, unde aduersarij tenent. Quod Deo irascente peccatorib. sancti sibi adsciscāt tanq̄ Marscalci intercedētes pro ijs, qui eis offerūt et alia seruitia ieiunorū et orationē exhibuerunt. Qui interponētes se erga Deū percantabilem concordiam, tanq̄ corā rege terreno gratiam facere solent, Deū leniūt & mitigāt, ut patientiam in eos habens nihil extra rationem infirma uehementer aggrauat, & sic innuunt eos misericordiores fore Deo, cum sic per suā interpositionē mutant quodāmodò sententiā Dei quā fert in peccatores, & hoc specialiter de B. uirgine dicentes prædicant, quod Deus, qui est iustus iudex nō est inspector personarū, nec acceptor munerum, quando dat sententiā super peccatorem æternæ damnationis, tunc ipsa precibus suis hanc sententiam mutat, quod dicunt: figuratum in Nabal, qui contemptus & sententiatus fuit à Dauid, & placatus fuit per Abigail, 1. Reg. 25. Vocant insuper aduersarij sanctos nominibus Deo proprijs extra fidem scripture, ut patet specialiter de beata uirgine, quam in quodam cantu

Regi-

Reginam omnipotentem appellant, in Idiomate Bohemico communiter cantantes: Maria Matko Przewadutzytys kralocena rosemohutzy, &c. Ea etiam quæ solius Dei à Sanctis habere querunt, ut patet exemplariter in multis. Vnde quamuis solius Dei sit per se peccata dimittere uel delere iuxta illud Esaiæ 43. Ego sum ipse & non alius, qui deleo iniquitates, tamen hoc per inuocationem petitur à Sanctis. Canitur enim in hymno de beata uirgine: Sanctissima te poscimus, supplicibus nunc uocibus, adueni dulcis domina, dele nostra peccamina. Et de Euangelistis similiter canitur in prosa: Vos ergo Apostoli, et amici Domini, nostrorum absolute peccatorum uincula, iuuando per sæcula. Et de beato Bartholomæo similiter canitur: Quæsumus te sancte Bartholomæe exorantes, quo detegas nostra hic facinora. Et de S. Michaele sic canitur: Tu nostros Gabriel hostes prosterne, Tu Michael ægris affer medelam, morbos absterge, noxas dilue, nosq; fac interesse gaudijs beatorum. De Ioanne baptista etiam sic canitur: Te de poscimus, ut crimina nostra & facinora continua prece studeas absoluerè. Et de S. Dorothea similiter canitur: Virgo bona crimina terge, uictū dona, mores rege, ne damnemur graui lege causa negligentia. Ab istis omnibus Sanctis supra tactis per inuocationem queritur, quod non ipsis per se conuenit, sed soli Deo. Similiter quamuis animas hominum facere beatas seu facere eas interesse gaudijs beatorū soli Deo

soli Deo proprium sit teste Augustino, super Ioan.
 Omel. 20. dicens: Hæc est fratres mei religio Christi-
 ana, ut colatur unus Deus, & non multi Dij. Quia
 non facit animam beatam nisi unus Deus, participa-
 tione Dei fit beata, non participatione sanctæ ani-
 mæ fit beata infirma anima, Quia nec participatio-
 ne Angeli fit beata sancta anima, Sed si quærat beata
 esse infirma anima, quærat unde beata sit anima.
 Non enim beatus efficieris ex Angelo tu, sed unde
 Angelus, inde & tu, his præmissis & firmissimè con-
 stituitis animam rationalem non beatificari, nisi à
 Deo. Hæc ille. Tamen hoc per inuocationem peti-
 tur à Sanctis. Canitur enim de S. Dorothea in prosa:
 Pugil Christi Dorothea, tua nos uirtute bea, ut asso-
 tiemur iustis, cum cōdigno præmio. Sic etiam quam-
 uis reconciliare & pacificare ea quæ in cælo sunt,
 & quæ in terra sanguine Christi proprium sit, cum
 ipse nos cum Deo & omni cælesti militia concordat
 & pacificat, figuratus per sanguinè fœderis. Exod.
 24. & Colloß. 1. Pacificans per sanguinem suum siue
 quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Et Ephes. 2. Vos
 qui eratis longè, scilicet à Deo & Angelis, facti estis
 propè in sanguine Christi. Tamen per inuocationes
 Sanctorum hoc fieri à Sanctis postulatur, & specia-
 liter B. uirgini annotantur. Dicunt enim ipsam pec-
 catores cum filio reconciliare, & iure inquit hoc
 tenetur. Quia si peccator nõ fuisset, Maria gratiam
 non inuenisset, & quia peccator perdidit, Maria in-
 uenit,

uenit, Ergo iure inquit tenetur, peccatores reconciliare, Quia Deus dicit: Ego mortifico, ipsa autem: ego uiuere faciam, & ideo de ea canitur: Per te sumus terrigenæ simulq; cœligenæ, pacati pace nobili, morte inestimabili. Et de undecim milibus uirginum similiter canitur: Quarum orationibus felices cum felicibus, pace fruamur sedula, per sæculorum secula. Item quamuis aditum præbere ad regnum cœlorū, proprium sit soli Deo, Christus enim est ostium & per illum, si quis introierit, saluabitur. Ioan. 10. Et nemo uenit ad Patrem nisi per eum, Ioan. 14. Tamen hoc per inuocationem sanctorum inuitur, hoc fieri per Sanctos, Cū de beata uirgine specialiter canitur: Fit porta Christi peruia. Et iterum: Quod Eua tristis abstulit, tu reddis almo germine, intrent ut astra flebiles, cœli fenestra facta es & hoc inquit, est magnum solatium peccatori, quia portam regis quilibet tangere potest, sed ad ingressu prohibetur. Portam autem & fenestram cœli Mariæ quilibet tangere potest peccator, & ingressum obtinere. Quia ipsa inquit, nos uocat Prouerb. 8. capit. Beatus qui audit me, & qui uigilat ad fores meas quotidie. Item, quamuis solus Deus propriè dicatur esse adorandus, propriè dicatur tamen per inuocationem sanctorum creatura iubetur adorari. Canitur enim de beata uirgine: Omnis homo omni hora hanc adora, & implora eius patrociniâ. Et iterum: Te adorant superi mātrens

trem omnis gratiæ Maria. Item quamuis ex scriptura non uidetur esse, nisi unicus, certus, uerus, & sufficiens aduocatus, mediator, & interpellator pro peccatoribus apud Patrem, CHRISTVS IESVS, ex prius declaratis, tamen per inuocationes Sanctorum hoc officium alijs à Christo annotatur.

Canitur enim de beata uirgine: Eia ergò aduocata nostra. Et iterum: Salue decus uirginum, mediatrix hominum. Similiter quamuis consolari in tribulationibus, & ab eisdem homines liberare, & omne malum ab ipsis repellere, eis misereri, & in necessitatibus auxiliari, alteri appropriandum esse non uidetur, quàm ipsi Deo, tamen hæc omnia per inuocationem quæeruntur à Sanctis, cum in uulgaribus Bohemico de sancto VVenceslao canitur: Spomozí in zwo Zadaure sum hickse naduami utieß sumtne adzen Rosyeczwe switti watzlaue, &c. Et de beata uirgine deprecamur in hoc festo: Sis solamen omni mæsto, fuga mortem, confer sarter nobis in cœli patria. Iterum: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ tuæ, nos ab hoste protege, in hoc mortis suscipe, cum tamen illa omnia uideantur Deo esse approprianda. Ipse enim sic dicit: Ego ipse & non alius secundum Lyram, consolabor uos consolatione æterna, quæ à solo Deo potest dari.

Quod autem ipse solus sit adiutor, auxiliatorq; in neces-

in necessitatibus & liberator, hoc exprimere uide-
 tur Esther in oratione sua, capite 14. Domine mi-
 rex noster es solus, adiuua solitariam, & cuius præ-
 ter te nullus auxiliator est alius. Ostende te nobis in
 tribulationibus, & mihi da iustitiam. Nos autem li-
 bera in manu tua, & adiuua nullum alium haben-
 tem auxilium. Hoc & David Psal. 39. Auxilium me-
 um, & salutare meum tu Dominus meus, ne more-
 ris, pro quo Deus & uult inuocari, dicens: Inuoca-
 me in die tribulationis, & ego exaudiam, & libera-
 bo te. Et in multis locis scripture promittit se in-
 uocantium adiutorem esse in opportunitatibus, mi-
 serator, auxiliator, consolator & liberator, imò &
 in oratione dominica sic præcepit orare: Libera nos
 à malo. Similiter quamuis spem nostrã in alio, quàm
 in solo Deo ponere non debeamus, exemplo sancto-
 rum Prophetarum. David enim Psal. 72. dicit: Posui
 in Domino Deo spem meam, quod & alij suadebat,
 Psal. 77. Narrabunt filijs suis, ut ponãt spem in Deo
 suam. Et Esai. 25. dicitur: Factus est fortitudo pati-
 peri, fortitudo egeno in tribulatione sua. Spes à tur-
 bine, & umbraculum ab æstu. Et Ioel. 3. Dominus
 spes populi sui, & filiorum Israël. Tamen per inuo-
 cationem Sanctorum, spes in alio quàm in Deo repe-
 ni cernitur. Canitur enim de B. uirgine: Et spes no-
 stra salue. Contra quod est expressè August. in Psal.
 124. super uerbo: transmigra in montem, sicut pas-
 ser, qui taliter scribit: Venturi sunt enim homines
 & dicent

& dicturi sunt: Magnus est ille uir, magnus est ille
 homo, & sequitur: Cum ergò tibi laudati fuerint
 isti montes, & coeperint tibi suadere, ut uenias ad
 illos montes, quasi ad auxilium, & ibi requiescas.
 Responde: in Domino confido, quomodo dicitis ani-
 me mee, transmigra in montem sicut passer, bo-
 num est tibi, ne in illos montes leues oculos, unde
 tibi à Domino auxilium sit, ut euadas sicut passer
 de muscipula uenantium. Sequitur: Si uis amari
 à bonis montibus, non pones spem nec in bonis mon-
 tibus. Nam qualis mons erat Paulus, quando in-
 uenitur talis? de mansuetudine loquimur homi-
 num, nec ergò tantæ gratiæ quisquam potest facile
 inueniri, & tamen timebat ne passer ille in illo po-
 neret spem, & quid ait: Numquid Paulus pro uo-
 bis crucifixus est, sed leuate oculos in montes, unde
 uobis auxilium ueniat, Quia ego plantaui, Apol-
 lo rigauit, sed auxilium uestrum à Domino, qui fe-
 cit cælum & terram. Quia Deus incrementum de-
 dit. Hæc ille.

Idem super Ioannem Omel. 1. scribit: Qualis
 ergò iste mons, quàm beatus, quàm altus inter illos
 montes, qui susceperunt pacem populo Dei, ut pos-
 sint colles suscipere iustitiam? Videte fratres, ne
 sortè de ipsis montibus est Ioannes, de quibus pau-
 lò antè cantauimus: Leuaui oculos meos in mon-
 tes, unde ueniat auxilium mihi. Ergò fratres mei,
 si uultis intelligere, leuate oculos in istum montem,

T id est,

id est, erigite uos ad Euangelium, erigite uos ad eius sensum, sed quia montes isti pacem suscipiunt, non potest esse in pace, qui spem ponit in homine, nolite sic erigere oculos in montem, ut putetis in homine, spem uestram esse collocandam, & sic dicit: Leuauit oculos meos in montes, unde ueniat auxilium mihi, ut statim subiungatis, auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Ergo leuauit oculos in montes, unde ueniat auxilium nobis, & sic tamen non ipsi montes sunt, in quibus spes nostra ponenda est, Accipiunt enim montes, quod nobis ministrant, Ergo & unde montes accipiunt, ibi spes nostra ponenda est. Hæc ille.

Ex cuius uerbis lucidissimè ostenditur, quòd spes non in alio, quàm in Domino ponenda est, & quòd debemus inuocare auxilium à Domino, qui fecit cœlum & terram, quando ergo aduersarij omnia illa iam dicta Sanctis attribuunt, & ab ipsis quaerunt, & omnia, quæ homines odiunt, & non libenter patiuntur, in eorum dicunt esse potestate habitantes populum, ut si qui uolunt per eos à talibus liberari, ipsos orent, eis diligenter seruiant, ipsi ieiunantes, offerentes, sollemnizantes, Monasteria, Ecclesias, & Altaria erigentes, & Magistri in his eos sequuntur, & omnia talia legunt, canunt, & uarijs modis excusant, ubi iam moderamen & mensura expressa in articulis Magistrorum non subsistet. Cum in tali sollemnitate gloria & magnificatione

tionem Sanctorum, & hominum ipsis à scriptione, quæ soli Deo propria sunt, mensura prædicta & moderamen non proderint. Sed illud cor totum in affectu effluet, ubi tale & tantum sentit iuuen. Quis enim audiens tot Sanctorum patrocina, & specialiter excellentiam beatæ uirginis super Angelos & Sanctos cæteros, & utilitates tantas, in ea recollectas, & curas eius ac sollicitudines de peccatoribus permanebit, Quin per illa à Deo non retrahatur, & honorem soli Deo debitum in eam non transferat, cum dicat eam præsiderabilem peccatorum spem, reginam cœli, omnipotentem, misericordem, & sub protectione pallij sub omnes indifferenter colligentem & sic de alijs excellentijs, quibus eam extollunt.

Ex cuius tali magnificatione uidetur simplicibus etiam maximis peccatoribus, quod nullus damnabitur, ex quo spes peccatorum dominatur in cœlo, & est operosa, cum pro talibus eius patrocinij adducunt Bernhardum dicentem: Securum habens accessum ô homo ad DUM, ubi filius ante Patrem ostendit latus & uulnera, & mater ante filium pectus & ubera, Nulla ergo erit repulsa, ubi tot & tanta concurrunt charitatis insignia.

Et de S. Dorothea, Barbara siue Catharina publicè legunt siue canunt: Dum sub ense præstolatur, morbis ictum deprecatur, pro ijs à quibus ueneratur suo

necis memoria, ut abundant temporalibus, saluantur à mortalibus, & à falsis criminalibus, per hæc uiuent in gloria. Quis ergò ex spiritu desolatis, stultus & cæcis hominibus aliter sentiet, de Sanctis audiens hoc tenere & promouere Magistròs, Doctores, Papas, & diligentius docere & obseruare, quàm Dei mandatum de dilectione. Cùm omnis serè Praga ex doctrina Magistrorum firmiter tenet tales inuocationes Sanctorum, & contradicentes sibi non patitur. Illos autem nimis multos sustinet, qui Dei mandatum de dilectione transgrediuntur, & ipsis fauorabiliter conuersantur, sed sic magnificare creaturas, & potestatem Dei ipsis tribuere, & recedere à Creatore, cum maiore inclinatione cordis eis quàm soli Creatori, & hæc est magna perfidia, quam nec Diabolus, etsi uellet, per Meretrices & Publicanos tantum posset inducere, sicut inducere potuit sub tali mendaci forma & magnificatione falsa matris CHRISTI, & aliorum Sanctorum. Nec Diabolus in hoc constitueret precones aut tortores, qui Sanctos possint ad tantum sic falsè magnificare, & DEVM sua gloria sic taliter spoliare. Sed utitur in hoc omnibus doctis, qui sub magna astutia, & imperceptibiliter occultum recessum procurant à Deo per tales inuocationes Sanctorum, colorantes manifesta mendacia, Deo, Scripturis sanctis, & alijs illius Meretricis magnæ Apocalipticæ ueneficijs.

Ex quo

Ex quo oriuntur false deuotiones, & multiplicantur præter scripturæ authoritatem, tot festiuitates Sanctorum, in quibus Diabolo seruitur liberius. Et quis posset describere omnia inconuenientia, quæ super illa falsa Sanctorum magnificatione sunt fundata? Ex quibus maximum inconueniens surgit, quòd homines cæci malè & carnaliter sentiunt de Deo & Sanctis æstimantes, quod ut prædictum est, præcisè fiat coram rege terreno ipso irascente. Alij non sic irati pro aliquo intercedunt, iram eius erga ipsum mitigantes, sic Apostolus æstimat fieri coram Deo, quòd Sancti minus quam Deus peccatori irascentes iram eius erga peccatorem mitigarent. Ex quibus apparet simplicibus, quòd Sancti magis misericordes sint, quam Deus, & quem ipse condemnauerit, illum ipsi adhuc à condemnatione suis intercessionibus liberant. Ex quo ulterius continuant, quòd sint inter Deum & Sanctos difformitas uoluntatum, ita quod cui ipse indignaretur, ipsi eidem non uiderentur indignari, & per consequens ex tali Sanctorum magnificatione ipsis plus confidunt, & affectuosius ipsis seruiunt, quam soli Deo, & sic in crimen idolatrie incidunt. Ex quo ulterius simplices æstimant, quòd Sancti laudes & munera diligant, & quod nisi pro illis intercedunt, qui eis offerunt, & quantò plus aliqui eis obtulerint, tantò diligentius intercedunt pro eis. Sed sic sentire de Sanctis, est

carnalium & erroneorum hominum, qui sicut de hominibus auaris & uanè gloriosis sentiunt de Sanctis nec de Deo sic, quemadmodum de rege & suis Gratianis est sentiendum, ut patuit supra ex auctoritate Beati Ambrosij super illo Roma. 1. capit. Dicentes, sapientes se, stulti facti sunt, cum Deus super premium bonum sit & immensum plus habens charitatis ad peccatores quàm Sancti, & prius eos diligens, quàm Sancti, differens in hoc à rege terreno, quòd homini multa bona promittit & exhibet, & si homo incidit in indignationem eius non festinat sed nolens mortem peccatoris, patienter expectat mouens ad pœnitentiam, & si quis egerit pœnitentiam, uita uiuet, Ezech. 18. cap. etiam sine Sanctorum intercessione.

De Sanctis etiam sicut dictum est, quemadmodum ex promotione, inuocationis talis Sanctorum teneant, sentiendum non est, sed sic de eis sentiendum esset, quando Sancti exuti corpore difformi essent uoluntatis à uoluntate Dei, & secundum acceptionem personarum & numerum cum peccatoribus agant, & ipsis sine Deo ex spiritali gratia proficiant, quòd minimè est dicendum, & tantum de materia inuocationis pro præsentibus.

RESPON-

RESPONSIO SACERDOTVM

Thaborienſium ad culpam
quartam eis ob-
iectam.

CAPVT XLVI.

IAM ad culpam quartam accedimus nobis sub ta-
li forma uerborum propositam. Sacerdotes Tha-
boritarum sunt concausa hominibus gula & uo-
racitatis, & Gastrimargiæ, ieiunia fidelium ab an-
tiquo tenta deponentes, & ad hoc nec legem Dei
neque Sanctorum scripturas habent, quòd hoc sit
malum. Circa quam culpam nobis ascriptam ca-
uentes ne ex multiplicitate ieiuniorum in populo
Christiano ex institutione diuersorum hucusque
obseruatorum, populus grauctur aut ultra liber-
tatem legis oneretur, aut Idolatriam incurrat ad
ipsam respondententes. Ipsa ieiunia circumstantionan-
da iudicantes fore dicimus, intentionem nostram
circa ea enodantes, quod ieiunia à lege Domini com-
mendata, tam ex lege ueteri, quàm noua meritorie
obseruanda, ipsi certis temporibus obseruamus, &
nobis subditos ad obseruandum tenemus, optantes,
ut totus populus Christianus, nedum ea, sed &
alia ab Ecclesia rationabiliter & diuinitus indi-
cta, Domino complacenter ac sanctis Dei pri-
mitiuis conformiter non obseruantia superstitione,
ne, sed

ne, sed uirtute continentiae ieiunaret, libertate tamen Dei utentibus semper salua. Cum sciamus praesupposito spiritali ieiunio, quod est omnino cessare à peccatis. Corporale ieiunium, quod est uirtuosa & rationalis à cibo & potu corporalibus abstinentia, ex causa rationabili procedens, & ad finem debitum ordinata esse multipliciter commendatum, multam uerè ieiunantibus afferent utilitatem. Dicimus quoque quod libertas est Christiano per omne tempus ieiunandi. Cum omni die ieiunij sibi tempus aptum sit, non obseruantiae superstitione, sed uirtute continentiae, ut scribit Origenes Omel. 10. super Leuitico. Ieiunia autem Scribarum & Pharisaeorum, & ab Antichristo instituta ieiunia haereticorum, & superstitiosa, quae obseruant Sacrilegi, incantatores, & nigromantici ieiunia sapientia idolatriam, ut sunt ieiunia limitata Sanctis in lege Dei non fundata, & ieiunia aliàs deordinata cum cibis spiritalibus, rarioribus, pretiosioribus, & lautioribus occasione quorum plus pauperes spoliantur, diuites autem ingurgitantur, & cleemosyna pauperibus subtrahitur, ubi si in leuioribus cibis & communibus ieiunarent, citius & facilius possent familiae & alijs egentibus ministrare. Illa omnia & similia deordinata ieiunia detestamur, & non promouemus, de quo reprehendi non deberemus, nec inculpari, sicut nec Sancti ex hoc sunt reprehendendi uel inculpandi, quod damnabant supra praedicta

dicta deordinata ieiunia, ut Esaiæ 58. Zachariæ 7.
 & Apostoli ieiunium in Sabbatho, & in dominica
 sub anathemate prohibentes, & Christus excusan-
 do discipulos, de hoc quòd ieiuniorum Pharisæo-
 rum & discipulorum Iohannis cum eis non obser-
 uabant. Vnde uidetur, quod soli Deo est ieiunan-
 dum, iuxta illud Matthei 6. Christi uerbum: Tu au-
 tem cum ieiunas, unge caput tuum & faciem tuam
 laua, ne uidearis hominibus ieiunans, sed patri tuo,
 qui est in abscondito, & pater tuus, qui uidet in
 abscondito, reddet tibi, &c. ubi ex uerbo Christi ie-
 iunium uidetur soli Deo fore limitandum, in cuius
 signum etiam notanter Iohel præcipit dicens: ut in
 toto corde ad Deum conuertantur in ieiunio, & fle-
 tu, & planctu. Et Zachariæ 7. uideatur argui, qui
 non Deo, sed sibi metipsis ieiunabant, similiter &
 Matth. 6. reprehenduntur non patri, sed hominibus
 ieiunantes. Hinc est quod Beda in Omelia super illo
 uerbo Matthei 6. cum ieiunatis, ita scribit: Non pro-
 pter humanam gloriam, sicut hypocritæ faciunt,
 sed propter futuram spem soli Deo ieiunemus, à
 quo expectamus humilitatis huius deuotam merce-
 dem. Hæc ille.

Ambrosius in libro de Naboth scribit: Compara
 nunc affectum pauperis, nihil habet & ieiunare uo-
 luntarius, nisi Deo nescit ieiunare, nisi ex necessita-
 te non uouit diues. Hæc ille.

Etiam uidetur, quod Christus non determinauit

quibus cibarij uti debeant, uel non uti ieiunantes, sed sub differentia pro libitu & uoluntate hominum reliquit, cum Matth. 15 determinet, quòd non coinquinat hominem, quod in os intrat, & Lu. 21. Quamuis diligenter præcipiat, ne grauentur corpora nostra nimia crapula & ebrietate, non tamen determinat & limitat aliquem cibum. Hinc est, quod Apostolus 1. Tim. 4. errare dicit, sic cibos discernentes, et ibi improbat hunc errorem rationibus pluribus, si per quo doctor Euangelicus ita scribit: Error de discretionem ciborum triplex destrui tur. Primò, Quia Deus creauit cibos, ut fideles ipsos percipiãnt cum gratiarum actione, & non Deus malus. Secunda ratio, Quia omnis res creata est bona, uidelicet Gen. 3. & per consequens, cibus à Deo ordinatus est etiam bonus. Nihil enim quod intrat in os coinquinat, sed omne quod in macello uenditur, licitè manducatur. Tertia ratio, Quia etsi Diabolus quantumcumq; immisceat coloribus, oderibus, saporibus excitantia ad uoluptatem, tamen uerbum Dei eternum & orationes sanctificant. Hæc ille.

Adhuc etiam errorem detestandum Augustinus quem adducit Linconiensis dicto suo de ieiunio, quærens sic concludit: A quibus autem cibus corporalibus est ieiunandum, à nullis, & infra: si à malis uel immundis. Quia omnia munda mundis, & nihil est reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sed à multis utpote à lautioribus & acta rarioribus.

ribus, quasi non necessarijs, quia moderati corporis
usum pro tempore Christianorum est. Hec ille.

Quamobrem Eleutherius in epistola dicit: Qua
de re necessum iudicamus, uos instruere ut escas,
quas uitare nos audiuimus rationabiliter non respu-
atis. Scitis fratres legislatorem docuisse omnia quae
creauit Deus, erant ualdè bona, & ipsa per se ueri-
tas ait: Non quod intrat in os, coinquat hominem,
sed quod exit de ore, unde constat, non refutari de-
bere escas communes, quas Deus ad cibos tribuit fi-
delibus suis. Hec ille.

Ad hoc de ciborum indifferentia clarius confir-
mandum, adhuc Beda in Omel. super illud Matthei:
Nolite iudicare, ita scribit: De genere autem cibo-
rum, quia possunt bono animo & simplici corde,
sine uitio concupiscentiae, quicumq; humani cibi in-
differenter sumi, prohibet Apostolus eos iudicare, &
carnibus uescabantur, & uinum bibebant, ab ijs qui
se huiusmodi alimentis temperabant. Qui manducat
inquit, non manducantem non spernat, & qui non
manducat, manducantem non iudicet. Ad hoc etiam
pertinet illud, quod alio loco dicitur: Nolite ante
tempus iudicare, quoad usq; ueniat Dominus, qui il-
luminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit
cogitationes cordis. Hec ille.

Cibi etiã spirituales, rariore, preciosiores aut lau-
tiores occasione, quorũ paupes plus spoliatur & di-
uites ingurgitantur, in ieiunantib. reprehendantur.

Hinc Augustinus in sermo. de aduentu Domini, qui sic se à carnibus temperauit, ut alias escas & difficilioris præparationis & maioris præcij inquirat multum errat. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed inuitare luxuriam. Hæc ille.

Ad idem Vincentius 15. lib. hist. cap. 12. allegans sanctum Basilium dicit, ipsum scripsisse inter cætera sic: Oportet tamen omnino illis uti cibis, qui facilius & uilius comparantur, ut non occasione abstinentiæ inueniantur præciosa quæq; ac difficiliora sectari, dum suauitate condimentorum uiles natura cibos in summum ac delicatum saporem conamur extollere. Hæc ille.

Imò, qui abstinentes à carnibus & ieiunantes uicere solent delicijs ciborum lautioribus, illis conceditur in Canone esus omnium aliorum. Hinc est quod dist. 4. sub autoritate Gregorij scribitur. Per autem est, ut qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoq; quæ sementiuam trahunt originem carnis, ieiunemus, à lacte uidelicet, caseo, & ouis. Et post pauca. Cæterum piscium esus ita Christiano relinquitur, ut hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Deniq; qui carne abstinent, nequaquam sumptuosiora marinarum beluarum conuiuia præparent. Vinum quoq; ita bibere permittimus, ut ebrietatem omnino fugiamus. Alioquin restat, ut omnia quæ corporibus libent, similiter faciamus. Hæc ille.

VALDENSIUM. 285
LEVES PROBATIONES IEIUNIORUM
modernorum.

CAPVT XLVII.

EX his iam scriptis potest quilibet benè iudicare, quàm leues probationes sunt Rokenz. & infundabiles eius magnificationes ieiuniorum ab antiquo constitutorum, & hucusq; communiter tentorum, quibus fundare nititur ieiunia Sanctis limitata, ieiunia cum cibis specialibus, carioribus, preciosioribus & lautioribus, cum ut ex præmissis patuit, soli Deo uidetur ieiunium limitandum & appropriandum, & lex Christi non determinat, quibus escis uti debeant ieiunantes, sed præsupposita modestia rationabili hoc sub indifferentia & uoluntate hominum reliquit. Nec hoc à ieiunantibus in consequentiam trahendum est, quod Daniel non de communi lege, sed ex speciali priuilegio trium hebdomadam diebus lugens panem desiderabilem non comedit, & caro & uinum non introierunt in os eius. Et quòd Ezechiel ieiunabat in pane ex hordeo & faba, & lente, & milio comedens, & in pondere bibens aquam, quando ieiunando liceret caseum, oua, lac uel carnes comedere, & uinum uel aliud potagium ab aqua bibere. Nec specialitatem ciborum à ieiunantibus nunc communiter frequentatorum, uerè probabit Rokenz. ex illo quod Dauid de seipso.

seipso dicit: Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleū, cū Lyra hoc sic exponat: Genua mea infirmata sunt à ieiunio: Quia Christus 40. diebus & noctibus ieiunabat, & post ea esurijs, ext. nuitate corporis, & non solum ex isto ieiunio, sed etiam in alijs laboribus & uigilijs passus est fatigationem corporis, quia maxime sentitur in genubus, eò quòd sustinent totum pondus corporis, & caro mea immutata est propter oleum, id est, ex defectu olei, in quo notatur tenuitas cibi, scilicet condimento carentis. Hec ille.

Nec hoc dictum Rokenzane benè uidetur fundare illa ieiunia cum cibis spiritualibus, modò communiter obseruatis, qui dicit, quod peccante Adam tunc maledicta est à Domino terra in opere suo, sed non sic aqua, & ex inde inquit, animantia de terra nascentia, plus contrahunt maledictionis scilicet foementi peccati, quàm pisces de aqua nati, qui non sic inflammant, siue succendunt ad libidinem ipsam carnem, & per consequens inquit, cū esus carniū est magis delectabilis communiter, quàm esus piscium quamuis in aliquibus aliter se habet. Ideò Ecclesia magis prohibet esum carniū quàm piscium. Nimis leuis probatio ieiuniorum prædictorum, cū dici posset, quòd animantia terræ, quæ in Arcâ erant conclusa, tantã si non ampliorem habent sanctitatē, sicut pisces in aqua, & dato, quòd animantia de terra nascentia, plus inflammant ipsam carnem, tanto

tamen uerbum Dei æternum & orationes fidelium
 sanctificant & tamen modestia hominum illa omnia
 suppetunt seu moderantur. Hinc Vincentius lib. hi-
 stor. 17. cap. 64. allegans Hieronymum ita scribit:
 Nonnulli uitam impudicam appetentes in medio i-
 tinere corraunt, dum solam carniū abstinentiam
 uitant, & leguminibus stomachum onerant, & ut
 quod sentio, loquar: Nihil sic inflamat corpora &
 titillat genitalia, sicut cibus indigestus, uictus con-
 uulsus, quicquid seminarium uoluptatum est, uene-
 num puta, parcus cibus & uenter semper esuriens,
 triduanis præfertur ieiunijs, & multò melius est
 quotidie parum quàm raro satis sumere. Hæc ille.
 Non ergò in tantum gloriatur Rokenz. cum talibus
 ieiunijs, nec ipsa tantum magnificet. Scribit enim
 Chrysost. de opere perfecto, Omel. 30. super illud:
 Ecce homo uorax & uini potator, publicanorum
 amicus & peccatorum. Audiant quicumq; magnam
 gloriam in ieiunijs sibiipsis circumponere studet &
 excogitent. Quoniam dominator noster edax & ui-
 ni potator uocatus est, & non uerecundabatur, sed
 omnia despiciebat hæc, ut propositio expleat, quod
 & factum est. Etenim transmutatus publicanus, &
 melior ita factus est, ut discant quàm magnum hoc
 expleuit in communicando ei mensam. Hæc ille.
 Ex cuius uerbis patet, quod Christus non tantam
 gloriam, nec tantam uim sibi in ieiunijs corporali-
 bus posuit, sicut moderni ponunt, sed illis ieiunijs
 prætu-

prætulit abstinentiam ab iniquitatibus & illicitis uoluptatibus. Similiter in cuius signum Origenes Omel. 10. super Leuitico scribit: Vis tibi ostendam, quale te oportet ieiunare ieiunium, ieiunia ab omni peccato, nullum cibum sumas malicie, nullas capias epulas uoluptatis, nullo uino luxurie concalescas, ieiuna à malis artibus, abstine à malis sermonibus, contine te à cogitationibus pessimis, noli contingere panes furtiuos pessimæ doctrine. Non concupiscas fallaces Philosophie cibos, qui te à ueritate seducant. Tale ieiunium Deo placet. Abstinerere uerò à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus hoc facere cum ijs, qui Christum crucifixerunt, acceptum esse non potest. Deo indignati sunt aliquando & Pharisei Domino, cur non ieiunarent discipuli eius, quibus ille respondit: Quia non possunt filij sponsæ ieiunare, quàm diu cum ipsis est sponsus. Illi ergò ieiunent, qui perdidērunt sponsum, Nos habentes nobiscum sponsum, ieiunare non possumus, infra est aliud adhuc ieiunium, cuius laus etiam quorundam Apostolorum literis prædicatur, inuenimus enim in quodam libello ab Apostolis datum: Beatus qui etiam ieiunat pro eo ut alat pauperem, huius ieiunium ualde acceptum est apud Deum, & re uera dignum satis. Imitatur enim illum, qui animam suam posuit pro fratribus suis. Hæc ille.

Et Chrysof. de opere perfecto morali 46. scribit

bit: Non dico ut ieiunes, non ut saccum & cinerem substernas, sed si pecunias despicias ut despiciere oportet. Si amator hominum fueris, & esurienti seruaueris panem tuum. Si iram continebis, si uanam gloriam proijcias, si emulationem destruxeris, ita ipse erudiuit: Discite enim ait, à me, quia mitis sum, non dixit, quoniam ieiunauit, quamuis habebat dicere, Quoniam ieiunauit 40. diebus, sed quoniam mitis sum, & humilis corde. Et rursus mittens eos, non dixit, ieiunate, sed omne quod apponitur uobis, comedite. Et sequitur: Hæc autem dico non ieiunium uituperando absit, sed & multum laudans. Doleo autem cum multis alijs neglectis, hæc æstimatis sufficere ad salutem uobis. Hæc ille.

Et August. super Ioannem Omel. 15. scribit: Ieiunium autem magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus & illicitis uoluptatibus. Similiter, Quid est perfectum ieiunium, nisi ut abnegantes impietates & seculares cupiditates temperanter & iuste & piè uiuamus in hoc sæculo. Hinc ieiunio quam mercedem addit Apostolus, sequitur & dicit: Expectantes illam beatam spem & manifestationem beati Domini Dei & Saluatoris IESU Christi. In hoc ergo sæculo quasi quadragesimam abstinentiæ celebramus, cum benè uiuimus, cum ab iniquitatibus & illicitis uoluptatibus abstinemus. Hæc ille.

Omnes iste autoritates sententiant, quòd Christus non tantam uim sibi in ieiunijs corporalibus

posuit, sed illis ieiunijs prætulit abstinentiam à peccatis, unde ieiunium à cibis corporalibus parum aut nihil prodest, nisi sit informatum illo magno ieiunio & generali, quod est abstinere ab iniquitatibus & ab illicitis uoluptatibus. Hæc est enim forma ieiunii perfectiua & quasi uita, cuius formæ seu uitæ quasi materia uel corpus est ipsum ieiunium à cibis corporalibus. Quod sine specie supra dictæ formæ est quasi informis materia uel corpus exanime. Cui rei Esaias in persona Domini loquens consonat, dicens: Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi, dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentis, & omne onus dirumpe, frange esurienti panem tuum, egenos uagosq; induc in domum tuam. Nec in Ecclesia primitiua fuit tanta appretiatio tantum ieiuniorum corporalium, qualiumcunq; quantæ est modò, & quòd hoc sit uerum, scribit Doctor Euangelicus super ad Ro. 1. sic: Non enim creditur quod tempore Apostolorum fuit tanta solennisatio ieiunii quadragesimalis, quatuor temporum, sabbathi, uel cuiuscunq; diei, ut est modò. Et fortè melius esset, quod homines liberè honorassent Deum suis modis referendo actus, qui benè & malè possunt esse Deo secundum gratiarum actiones. Hæc ille.

Ex cuius Doctoris uerbis potest patere, quod non multum reprehendi deberent, qui diligenter hortantes populum ad abstinentiam à peccato, repperent homines in libertate bona, in ieiunando, et nõ astringe-

astringerent eos ad multiplicatam talium ieiunio-
 rum, ab antiquo constitutorum, & huc usque communiter
 tentorum. Cum ex uerbis doctoris Evangelici ante
 dictis, nec ieiunium quadragesimale fuit tantae so-
 lennitatis tempore Apostolorum, ut est modo. Hinc in
 historia Satyrica c. 167. legitur, qualiter sub tempo-
 ribus Constantini. Erat quidam Spiridion Cyprius Epi-
 scopus, qui uidens peregrinum semel ad se uenire, qua-
 dragesimali tempore, praecipit Verena filiae suae uir-
 gini, lauare sibi pedes & cibos sibi apponere. Cui re-
 spondenti panem non adesse, aut quicquam ciborum,
 mandauit ut salitas carnes porcinas, quas domi habe-
 bat, excoqueret, appositas comedens, ad edendum pe-
 regrinum inuitat, Quo reuente & Christianum se
 profitentem, Episcopus inquit, magis refutare non
 debes: Omnia enim munda mundis. Haec ibi. Ecce
 Episcopus iste fuit illius fidei comedens carnes in qua-
 dragesima & peregrinum ad comedendum inuitans,
 quod Christianus hoc refutare non debet credens illi
 scripturae, quod omnia sint munda mundis. Prote-
 stamur tamen hic, quod non ista de ieiunijs ideo dici-
 mus, ut abstinentiae Christianae frena laxemus, cum cer-
 te sit libertas Christiano per omne tempus ieiunandi
 non obseruantiae superstitione, sed uirtute continen-
 tiae. Nam quomodo apud eos castitas incorrupta ser-
 uatur, nisi arctioribus continentiae fulta subsidijs, quo-
 modo scripturis operantur, quomodo sapientiae et sci-
 entiae studet? Nonne per continentiam uentris et gutturis?

Quomodo seipsum quis castrat propter regnum cœ-
lorum, nisi ciborum affluentiam rescet, nisi absti-
nentia utatur ministra. Hæc ergò Christianis ieiunandi est ratio, sed ideò ista de ieiunijs inter serimus, ut conscientia cauteriata multorum in hypocrisis circa ea loquentium mendacium rectificetur. De hoc autem quod nobis specialiter imponitur, quòd simus occasio siue concausa hominibus, gula, uoracitatis & gastrimargiæ, si præter communem nostram intentionem aut decretum per nos uniformiter prolatum, contigit talis dissolutio tempore istius moderni disturbij, non debemus iudicari concausam esse talium, sic nec Saluator cum sanctis suis fuit ita damnabilis concausa. Si aliqui reprobj & mali homines occasione malè accepta, ex illo Christi uerbo. Quòd intrat in os, non coinquinat hominem, uel ex illo: Nunquid possunt filij sponsi, quam diu cum illis sponsus est ieiunare, uel ex illo, Omne quod apponitur uobis, manducate, uel ex illo: Omnia munda mundis, & nihil est reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, uiuebant dissolutè & sibi contrariè & culpabiliter.

RESPONSIO SACERDOTVM THABORIENSIVM, ad culpam quintam eis obiectam.

CAPVT XLVIII.

Quar

Quantum ad culpam quintam, in qua nos reprehendunt, uel aliquos ex nobis de duob. Primò quòd bella nunc currentia populo nò detestamur. Secundò, quòd illa nec lege Dei, nec scripturis Sanctorum cum illis conditionibus & circumstantijs sicut aguntur, scimus neq; possumus e-metiri, priusquam huic culpæ uobis respondeamus. Primum & ante omnia omnibus & singulis ad memoriam reuocamus, Qualiter cum inimicus ueritatis ac humanæ salutis Diabolus, uolens in hoc bonū augeatur in regno Bohemiæ, quod ex gratia Dei & fidei prædicatione Magistri Ioannis Husi sanctæ memorie, & aliorum Magistrorum ac simplicium fidelium sacerdotum, ortum fuit in hominibus, pro tunc propositum belli non habentibus, suscitauit membra sua, quatenus hoc bonum per potentiam, uiolentiam, cæterasq; crudelitates tam per spirituales, quàm seculares impediatur, qui conabantur, sicut & nunc conantur, qualiter hoc bonum incipit, & cum Bohemicæ nationis linguagio condemnent, deieant & exterminent, propter quod nolentes per talem potentiam, uiolentiam atq; crudelitatem à bono cessare proposito, aut à fide resilire Catholica, bellū ex necessitate erexerunt. Et hoc solū indicti boni defensionē & fidelium illud debitè promouentium protectionē, ad hunc principaliter finē directū, ut p illud omnis error Antichristi quantumcunq; palliatus pro posse destruaturs et promouetur fides Christi,

ordo instituat, & ueritas p̄ media debita secundū
 legē Dei omnib. exclusis deordinationib. illis ad me-
 moriā reductis, ad primā partē culpæ nobis obiectā
 taliter respondemus, quòd nos illa bella moderna,
 quæ ex necessitate sicut præmittitur, ad hunc finem
 erecta sunt, sed & dum continuarentur in caritate,
 contra fidei destructores, innocenium oppressores,
 uel alios pertinaces & sceleratos legis Dei transgres-
 sores, qui alijs modis leuiorib. nullatenus à sua peri-
 nacia & inuasionē fidelium reduci possent & coer-
 ceri semper parati existentes, illa bella contra tales
 subiectis dimittere conditionibus, dum inimici ueri-
 tatis uellent uiam ueritatis & iusticiæ fideliter susci-
 pere. illa nos bella omninò deturpare non audemus,
 quamuis uiam securiorem fore dicebamus, pugnare
 spiritualiter, non cum gladio aurem uerberando, sed
 Deum orando, ac in tractatu hostes ad concordiam
 obsecrando, & in illa reputata uecordia mortem, si
 oporteat patiēdo, scientes quoniam in præsentibus
 bellorū, mutua simul cū magistris in Praga haberi-
 tes consilia, bella cum debitis circumstantijs requisitis
 ad eadē habitis, simul asseruimus esse licita, quas cir-
 cumstantias inter nos recitantes & futura pericula
 præcauere uolentes, populo simul cū ipsis diximus,
 quòd nobis iustum & rectū uidebatur, & sic bellum
 erectum est ex magistrorū & nostro simultaneo con-
 silio ad hunc finem qui dictus est, & specialiter qua-
 tenus ueritates toti Ecclesiæ salutare in Dei Eccle-
 sia

fia debitu sortiantur effectū, prout patet cōmunita-
 tib. corū & nostris absq; ulla ambiguitate. Vbi autē
 secundo nobis obijciunt, quòd nos ea bellanescimus
 lege Dei, neq; scripturis sanctorū cum illis conditio-
 nib. & circūstantijs, sicut arguitur emetiri. Ad hoc
 taliter respondemus, quòd nō est intentionis nostræ
 promouere, aut quomodolibet excusare uel defende-
 re quod malū est & deordinatū est circa bella. Hinc
 aduocamus in testimoniū cōmunitates nostras, quali-
 ter nos dudū uidentes hoc bellū dictū per multos, qui
 seipsis fraudulentē cum alijs applicuerunt intenti-
 onibus in magnas uerti deordinationes semper con-
 tra propositum & intentionem nostram & aliorum
 qui pro illo prædicto bono se fideliter opposuerunt.
 Ob hoc plures internos habemus conuocationes, u-
 nam in ciuitate Preßk, sub anno Domini 1422. tem-
 pore carnis priuij, Aliam in monte Hadrist sub an-
 no Domini 1424. infra octauas resurrectionis,
 Et tertiam in Glotho, eodem anno circa festum
 Martini, in quibus conuocationibus contra omnes
 deturbationes licet contra nostram omnium com-
 munem intentionem in dicto populo exortas, sine
 iniustis bellis, spolijs, exactionibus uel uindictis si-
 ue ineptis Scripturarum per Sacerdotes applica-
 tionibus, & eorundem secularibus negotijs im-
 plicationibus cogitamus, & pro reformatione illo-
 rum omnium deordinationū, quæ possunt accidere,
 articulos formauimus, eosdē in omnibus nostris præ-

nunciantes communitatibus, quos hinc causa breuitatis non oportet inferere. Quod autem propter nostram communem omnium intentionem aut decretum per nos uniformiter prolatum in populo, cui predicamus, contingunt tales deordinationes, de hoc dolemus. sicut & multi excessus similes aestimamus præter Magistrorum contentiones contingunt conformiter inter subditos eorum informationi.

RESPONSIO SACERDOTVM THABORIENSIVM, ad culpam sextam eis obiectam.

CAPVT XLIX.

QVò ad sextam culpam in qua nos inculpant, quod nos aut quidam ex nobis contra articulum ex nostris quatuor, unum actus quosdam ciuili dominij, prosequeremur astute & simulate sub specie legis diuinæ ad illos suos actus, nec legem Domini, nec scripturas Sanctorum habentes. Ad hoc taliter respondemus, Quod quamuis in conuocationibus nostris, de quibus in responsione præcedentis culpæ fecimus mentionem, & hæc inter nos decreuimus, quod nullus sacerdos, aut alijs ordinibus insignitus, de communi lege debet secularibus negocijs implicari, in offensum & scandalum aliorum, limites sui status excedens, actione cuius excessis

excessus poenam irregularitatis incurret. Tamen si
 secularibus existentibus ex promissione diuina, im-
 prouidis aut incurabilibus aliquis Sacerdos spiritu
 Dei agitatius debite & meritorie, pacem inter ho-
 mines seculares promouerit, et ad concordiam ipsos
 induxerit, ne occasione eorum discordie pauperes
 spolientur in hoc, non quæ sua sunt, quærens pro
 tempore, quo non negligeret magis utilia, nostrum
 non est condemnare uel iudicare, cum per Clemen-
 tem in itinerario in epistola, quam scripsit ad Iaco-
 bum fratrem Domini, hoc non uidetur esse interdi-
 ctum & Sacerdotibus, quos ibidem hortatur, ut or-
 phanis exhibeant, semetipsos Parentes, uiduis uiro-
 rum curam impendent, & ijs qui ignorant artificia,
 exquirant honestas aliquas occasiones, quibus uictus
 necessarium quæerunt, & si qui ex fratribus negotia
 inter se habuerint, apud cognitores seculi non iudi-
 centur, sed apud Presbyteros Ecclesie quicquid il-
 lud fuerit, dirimatur. Et estimamus nullum inter
 nos esse Sacerdotem, qui non libenter priuaretur
 huiusmodi occupatione sui officij impeditiua. Et
 uitiam inter Magistros & eis adherentes nullus
 esset Sacerdos, qui plus occulte & palliate regeret
 secularia facta, quam aliqui certi ex nostris regant
 huiusmodi ad hoc necessitati manifeste. Et si impu-
 gnator impugnans nos uel aliquos ex nobis de duca-
 tu quorundam actuum secularis dominij, scrutare-
 tur uias suas, & aliorum sibi à latere assistentium,

& uerè cognosceret, ex cuius scitu aut consilio, Sa-
 cerdote cum Sacramento præcedente excutiebant
 domos, spoliabant et captiuabant homines per Pra-
 gam, & post ea insequabantur fratres Thaborien-
 in Costeletz, Malessow, Gretz, & Gaslaniam, &
 demum inter Principem Littuanie Sigismundum
 irruerunt, & noua ciuitate Pragensi deuastata ex-
 ercitus campestris circa Gurym prostrauerunt. Ti-
 memus ne conueniret sibi aut alicui ex suis illud
 Apostoli, Qui alium doces, teipsum non doces, qui
 prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mor-
 chandum, moecharis, qui abominaris Idola, sacri-
 legium facis. Qui in lege gloriaris per præuarcationem
 onem legis Deum inhonoras. Et illud Ethnici com-
 mune prouerbum: Turpe est doctori, cum culpam re-
 darguit ipsum.

R E S P O N S I O S A C E R D O T U M
 Thaboriensium ad culpam
 septimam & ultimam eis
 obiectam.

C A P V T L.

Quantum ad culpam septimam & ultimam
 in qua nos inculpant de quinque. Primò, quòd
 ritum Missæ abiecerimus. Secundò, quòd ri-
 tum eorum missandi contempsimus & abiecerimus.
 Tertio, quòd signo crucis in Missa non uteremur.
 Quarto,

Quartò, quòd aquam cum uino non misceamus. Et
 quintò, quòd ritus ceteros eorum Missæ non obser-
 uemus.

Quantum ad primam particulam articuli re-
 spondemus, quòd re iniuriam magnam nobis facit
 Magister Ioannes Rokenzana cum sibi adherenti-
 bus Magistris & Sacerdotibus, imponens nobis sim-
 pliciter officij Missæ seu ipsius ritus abiectiõnem,
 cum non abiecerimus officium siue ritum Missæ,
 qui tempore Ecclesiæ primitiue secundum testimo-
 nium Bernhardi & V Vilhelmi in suis rationalibus,
 et Archidiaconi glossatoris Decreti, in prima parte
 allegatorum in uestibus communibus, solùm cum
 forma uerborum sacramentalium, cum additione
 postea per Petrum seu Apostolos: Pater noster, &
 lectione Epistolæ & Euangelij peragebatur. Et
 per consequens circa missationem obseruamus ea,
 quæ sunt de substantia Missæ, & circa ipsam sunt
 utilia non proprio in hoc utentes capite. Sed imi-
 tantes in hoc specialiter ritum Beati Dionysij, in
 quantum promouet deuotionem populi secundum
 formam in prima parte huius descriptam, non
 uerè imponitur nobis simpliciter, quòd officium
 siue ritum Missæ abijciamus. Vbi autem nobis
 secundò imponitur, quòd ritum missandi Magistro-
 rum contempserimus & abiecerimus. Benedictus
 sit Dominus, quòd non inculpamur de abiectiõne
 & cõtemptu ritus Ecclesiæ primitiue, cum illũ pro
 posse

posse sequamur, & si quæ nondum assecuti sumus,
 parati sumus suscipere. Si inculpamur de abiectione
 ritus Magistrorum, qui est ritus curiæ Romanæ
 modernæ, à qua etiam in administratione Sacra-
 menti Eucharistiæ sub utraq; specie discrepamus.
 Et intolerantia prostibulorum capillatorum, coreo-
 rum lasciuiarum, & sic de alijs, qui non est ille ritus
 talis, qui tempore Christi & eius Apostolorum in Ec-
 clesia primitiua seruabatur. Nec est ritus Ecclesiæ
 Catholicæ & uniuersalis: cum alius sit ritus Græcorum,
 alius Ambrosianus, quem sine contemptu ex
 causis rationabilibus obmisimus in prima parte huius
 ubi ista latè tractatur materia descriptis in hoc
 ut speramus cæteris paribus non peccantes. Quod
 autem signum crucis in Missa non facimus, hoc agimus
 ideo, quia facere signa crucis in Missa, non est
 de substantia neq; necessitate Missæ seu Sacramenti
 Eucharistiæ, sed magis uidentur præstare multis
 occasionem perfidiæ & superstitionum, & sunt la-
 queus simplicibus Sacerdotibus, & consequenter
 alijs plebibus, qui uirtutem Dei more gentiliū po-
 nunt in characteribus & in signis. Caret quoq; hæc
 signa facere in Missa, uel aliàs ubicunq; autoritate
 scripturæ sacræ, uidelicet dist. 11. cap. 1. exprimit di-
 cens: quòd nulla scriptura noui uel ueteris testamen-
 ti docet fideles signaculo crucis insigniri, nec Chri-
 stus legitur aut aliquis ex Apostolis ipsius fecisse
 hoc, quibus ut æstimamus se conformauit Ecclesiæ
 primiti-

primitiua. Hæc ille. Eodem modo respondemus ad hoc, quare in Missa non miscemus aquam uino, quia hæc admixtio non est de necessitate Sacramenti, ut dicit Tho. 3. parte sum. quæst. 75. arti. 7. respondendo ad tertium argumentum. Sed ut in principali responsione ibidem ponit, Appositio aquæ ad uinum refertur ad significandum participationem huius Sacramenti à fidelibus, quantum ad hoc quod per aquam mixtam uino significatur populus adunatus Christo. Et ibidem patet q. 83. in responsione præsentis ad quartum. Et in signum illius Ciprianus ponit, quod si aqua uino non miscetur ex ignorantia, potest simplicitati eius uenia concedi, quod non esset, si aqua esset de necessitate Sacramenti. Viderit ergò Rokenzana per quid probabit dictum Theophili, quem nuper coram toto auditorio allegauit, sic dicentis: Erubescant ergò, qui uinum in sacris non lymphant mysterijs. Videntur enim non credere, quòd aqua de latere fluxit Christi. Hæc ille.

Non uidetur hoc dictum suam habere ueritatem, cum aliter nullus à tempore ascensionis Christi usq; ad Alexandrum Papam non crederent aquam de latere Christi fluxisse, quod nephas est credere. Cum Max. Papa primum statuit aquam in missando uino misceri, ut scribitur de consecrat. dist. 2. in Sacramentorū. Et hodie Ecclesia Græcorum dicitur aquam uino non apponere, Vbi autem nobis ultimò opponitur, quòd ritus cæteros eorum Missæ non obseruamus,

mus, quare hoc facimus, huius tractate sunt rationabiles cause. In prima parte huius, ubi tractatur hec materia, quas hic non oportet secundo repetere, Cum sciamus istum ritum missandi, curie Romanæ esse alium, & in multis differentem à ritu Apostolorum & sanctæ Ecclesiæ primitiue, uidelicet cuilibet, qui dicta Dionysij uerè & diligenter pensauerit. Ritus etiam iste Magistrorum & curie Romanæ modernæ, non est ritus Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, cum alius sit ritus Græcorum, alius Ambrosianus, ut tactum est superius. Hic ritus missandi Magistrorum est idem omnimodò cum ritu Ecclesiæ Romanæ modernæ.

Plura enim aliqui eorum obmiserunt, ut osculum pacis, Euangelia, Epistolas, non secundum ritum illorum, sed pro suo beneplacito legunt in die Parasceuen, non mittunt hostiam consecratam in uinum non consecratum, thurificationem, aspersionem, benedictiones placentarum, ouorum, caseorum, candelarum, cinerum, imagines & organa in Ecclesia non habent, & multa alia sunt, quæ obmiserunt per se & non per concilium generale. Quæ ergò excusatio seruit eis, seruit & nobis. Qui ritus Ecclesiarum semper fuerunt uarij, sicut & nostris apparet temporibus, & sic curret usque in finem, ut patet per Gregorium, distinctione duodecima: Nouit fraternitas, qui imitari possunt pro necessitate temporum & locorum,

corum, distinct. 14. Sicut Deus quadam &c. Et dist.
29. regula sanctorum Patrum. Sicut & Ecclesia
Romana statuta sua secundum temporis exigen-
tiam quandoq; mutat 21. q. ulti. His ita & in ca-
pite ultimo, & in pluribus locis alijs. Quamuis
ergo Magistri Pragenses quondam publicè scripse-
runt, & in magna ciuitate Pragensi manifestè
pronunciari mandauerunt, quòd iste ritus mis-
sandi, quo ipsi utuntur in uestitu sacræ Missæ &
gestu in uniuersali Ecclesia, sicut ab Apostolis &
in primis eorum discipulis traditus, huc usque in
Ecclesia Dei continuetur, tamen nunquam hoc
uerè ostendere possunt, quòd ille eorum ritus sit
ille aut talis, qui tempore CHRISTI & eius
Apostolorum in Ecclesia primitiua seruabatur.

Vel quòd sit ritus Ecclesiæ Catholiçæ & uniuers-
salis, ueruntamen hoc eis admittimus, quòd ritus
eorum est ritus curiæ Romanæ modernæ à mul-
tis Pontificibus Romanis longè post Apostolos ab
imitatione iam Christi ipsiusq; Apostolorum no-
tabiliter declinantibus institutus, & infundabili-
ter, quoad scripturam & onerosè introductus,
uidelicet per Hugonem de Sacramentis parte se-
cunda, libro secundo per Doctorem Euangelicum
de apostasia capite 18. Per Magistrum Iacobellum
in uno suo tractatu, & per diuersas chronicantes.
Qui omnes breuem missationem Beati Apostoli
Petri præmittentes tangunt, qui post ea Pontifi-

cum quæ & qualia in successu temporis ad istum addiderunt, & illum ritum missandi sic longum & onerosum, & quo ad scripturam infundabilem comportauerunt. Et si Magistri illum eorum ritum uoluerunt lege Dei rectificare, necessarium habent uaticos eorū & missalia, aliasq; legendas, quas in horis & Ecclesijs legunt, in multis corrigere.

RESPONSIO SACERDOTVM THABORIENSIVM ad fundamentum M. Ioan. Rokenzanæ, super quo ritum suum missandi fundare nititur.

C A P V T L I.

QVando autem M. Ioan. Rokenz. fundare nititur ritum suum sacrificandi in Missa & Vesperis, & circa alia officia diuina in habitu alijsq; ab Ecclesia Romana moderna, consuetis allegans pro illo. Primò in genere illud 1. Cor. 14. Omnia honestè & secundum ordinem fiant, quod dicit consuetudinum laudabilium fundamentum secundum Doctorem Euangelicum, quem ibidem adducit. Secundò allegans pro illo ritu in genere illud 1. Timoth. 2. Obsecro ergò omnium primò fieri obseruationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, ubi inquit secundū glos. ordm. Ordo Missæ suæ præmon-

præmonstratur. Et tertio allegans pro illo dicto suo ritu magis in speciali ritum Dionysij in de Ecclesiastica hierarchia, cui ritum suum dicit fore in multis consimilem & adaptatum. Illa tamen omnia prædicta super quibus fundare nititur ritum suum sacrificandi, si fideliter et uerè aduertantur, non sunt pro illo, nec ipsum datum est primarium significatum alicuius partis sacræ scripturæ, quas ipse cum alijs profundatione illius sui dicti ritus allegare consueuerunt. Ideo relinquitur, quòd ritus ille sacrificandi M. Ioan. Rokenz. uerò caret fundamento. Nam illud primum dictum beati Apostoli non militat pro eo directè. Quando dicit omnia honestè & secundum ordinem fiant. Ibi enim secundum Lyram Apostolus ostendit, quòd dona Spiritus sancti sunt appetenda, & quod ipsis utendum est ordinatè, & à personis quibus uti decet, id est, pro ut decet uiros & mulieres ad uitandam confusione. Nec ad hoc suffragatur sibi dictum Doctoris Euangelici, quod pro se allegat, ubi in de potestate Papæ scribit, quòd ibi includantur omnes usus Ecclesiæ indicendo seruitium, omnes ritus ordinum priuatorum, & breuiter omnis consuetudo Laicalis uel Clericalis laudabilis, Cùm laudabilis inquit consuetudo Ecclesiæ est obseruanda, licet non sit explicita sed implicita in scriptura. Nam ipse quamuis dicat & scribat sic, non tamen intentio est eius fundare ibi in illo dicto Apostoli totum ritum sa-

tum sacrificandi in Missa & Vesperis, & circa di-
 uina officia in habitu, & gestu, & signis omnibus
 alijsq; ab Ecclesia Romana & moderna consuetis,
 tam onerosum & legis Christi liberè restrictiuum
 & impediuium. Hinc est quòd Doctor Euangelicus
 illa, quæ Magister Ioannes Rokenzana recipit ex-
 primens immediatè post hoc satis per longum pas-
 sum redarguens præponderantiam traditionum &
 ad inuentionum humanarum ultra expressa in le-
 ge Domini. Et per illas Ecclesiæ ultra Phariseos
 legis ueteris onerationem, quam CHRISTVS
 à traditionibus huiusmodi pro tempore legis gra-
 tiae liberum esse ordinauit. Quid intelligat per ri-
 tus, usus uel consuetudines laudabiles in prædicto
 uerbo Apostoli fundatos subdit. Conceditur igitur,
 quòd ritus & leges honestè ex lege Domini eliqua-
 te sunt, in suo ordine obseruandæ, sed caueat Chri-
 stianus de nimitate studij eorum & obseruantia.
 Suspendus itaq; sine ulteriore solitudine sit con-
 tentus de flatu spiritus, siue istis extrauagantibus
 dirigendis. Hæc ille.

Et adhuc magis specificans se in dicta materiâ
 & quasi concludens intentum suum sequenti ca-
 pitulo, quæ post multa interserit subdit: Contem-
 temur ergò de paucis ritibus, quæ ex doctrina Do-
 mini nostri Iesu Christi seruauerunt Apostoli, & om-
 ninò superadditos uerè & modestè non præponde-
 ran er uel hypocriticè obseruemus. Omnia enim
 talia

alia non expediunt uel sunt licite, nisi de quanto
 iuuant ad obseruantiam mandatorum. Hec ille. Ex
 cuius uerbis, quæ Magister Ioan. Rokenzana omi-
 sit patet sua intentio, quam ipse habuit in sic dicen-
 do, ubi ipse eum allegauit, Nec Doctor Euangelicus
 simpliciter dicit: Consuetudines Ecclesiæ laudabi-
 les ibi esse fundatas, licet non sint explicitè in scri-
 ptura. Sed ipse notanter dicit, quòd obseruanda
 est laudabilis consuetudo, licet non sit explicita,
 sed implicita in scriptura. Illud autem dicitur im-
 plicitum in scriptura, quod uerè & directè sequi-
 tur ex eadem. Non ergò æstimet Magister Ioannes
 Rokenzana, quòd suus ritus quoad omnia & sin-
 gula, quæ ab eo & sibi adherentibus circa missa-
 tionem communiter obseruantur. In prædicto uer-
 bo fundari Apostol. cum illa, quæ ridiculosa uiden-
 tur in suo ritu puta gesticulationes facere, brachia
 extendere, manus iungere, digitos complicare, &
 seipsum incuruare, & sepius se ad populum uer-
 tere, & alios characteres multiplicare, cum erro-
 neis & mendosis, prophis & historijs, & alijs incon-
 uenientijs in prima parte huius tactis, non uidentur.
 In illo dicto Apostoli, uel alia quacunq; parte scri-
 pturæ uerè fundabilia. Et per consequens illud
 dictum Apostoli, super quo Rokenzana suum niti-
 tur fundare ritum missandi, suo proposito minimè
 seruit. Sicut nec illud dictum eiusdem B. Aposto-
 li Pauli 1. Timoth. 2. ut patebit posterius. Nec ritus

Dionysij, cui dicit suum ritum in multis consimilem fore, & adaptatum sibi famulatur. Tempore enim Dionysij Episcopus seu Sacerdos secundum Apostolorum consuetudinem, Eucharistiæ celebrationem cum deuota oratione incipiebat, & uerisimiliter sic fiebat: quòd populo conueniente Sacerdos accedens ad Altare, incipit orare, legendo uel cantando cum choro & populo orationem dominicam: Pater noster, exemplo CHRISTI, qui sic orare docuit Matth. 6. capite. Hinc beatus Petrus Apostolus post passionem Domini, anno primo legitur primam Missam celebrando, dixisse tantum Pater noster. Et hoc secundum archidiacono glossatorem decreti de conse. dist. 4. Iacobus super illo uerbo missæ celebrationem significat officium diei ueneris sancti circa altare, qui incipitur à Pater noster, à Sacerdote celebrante. Et hoc in Ecclesia Lateranensi Romæ secundum testimonium V Vilhelmi in suo rationali non dicitur alia omninò in officio, nisi oratio dominica. Quia in Ecclesia inquit, primitiua sic fiebat post ea legebantur lectiones de sacris scripturis seu hagigraphorum tractatum, & hoc secundum exigentiam temporis & populi fiebat in uulgari, ut colligitur ex dicto Apostoli 1. Corinth. 14. cap. ut populus audiens inducatur ad uirtutum instructionem, & ad uitiorum purgationem, cum iuxta Psalmi testimonium, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis. Ad cuius significatio-

nem,

nem, ut dicit Archidiaconus glossator decreti, ubi supra die Sabbati sancti officium Missæ incepit à prophetijs seu lectionibus, quibus finitis decantabuntur Psalmus, Hymni, uel diuina præcepta, & hoc in uulgari, ne fiat insania secundum Apostolum, cum Laici & Idiote nescirent ad id, quod non intelligebant, dicere Amen. Ad quod Apostolus memoria tenens illud præceptum, quo præcepit Deuter. 30. capite, ut scribentes ei canticum Domini doceant filios Israël, ut memoriter teneant & ore decantent, & sit eis carmen hoc pro testimonio inter filios Israël ad Ephes. 4. capite, Christianos hortatur dicens: Loquentes uobismet ipsis in Psalmis, & Hymnis, & canticis spiritualibus cantantes, & psallentes in cordibus uestris Domino, ubi gloss. loquentes uobismetipsis, id est, Si uos intelligitis & si uos ipsos instruitis ijs quæ dicitis in Psalmo, & Hymnis, & canticis spiritualibus, quæ de eterno gaudio sunt, & idcò spiritualiter intelligenda sunt, quia spiritualia sunt, quæ dicitis. Hæc glossa.

Post hæc fiebat prædicatio uerbi DEI ad omnes indifferenter boni & mali, profelyti & pœnitentes admittebantur, ad hoc, ut eorum in ueritate Euangelica alludatur intellectus. Quia Psalmo 118. dicitur: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat populis. Tempore cuius prædicationis si cedenti aliquid reuelabatur, prior ta-

cebat, ut scribit Apostolus, ubi suprâ, qui autem digni habebantur, communionem manebant. Erant autem ad hoc ordinati Diaconi, qui conscij erant populi, ij si quem sciebant indignum, non admittebant, sed eiciebant, nisi prius probaretur, & ageret pœnitentiam. Interim apponebatur panis & uinum ad Altare, cum decantatione prius Symboli Catholici à cuncta Ecclesia. Quo finito ad excitandum homines in bono, exhortatio breuis præmittebatur, in qua alloquebantur homines congregati ad recordationem omnium Christi beneficiorum, & uitæ ipsius pœnosæ, ad quam amplectendam hortabantur ut se in talibus probent.

Deinde Sacerdos accedens ad Altare sub silentio populi & chori, expressè alijs circumstantibus & intelligentibus Sacramentum altaris conficiebat. Et postquàm perfecit consecrationem in silentio demonstrando eam communicauit, & inuocando nomen Domini super populum, & exhortando ipsum ad charitatem & pacis unitatem, ipsum communicauit, iuxta ritum sanctorum Apostolorum testante Anacleto, qui dicit: Peracta consecratione omnes communicent, qui nolunt Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & sancta Romana tenet Ecclesia & Apostoli tenuerunt. Tandem finita communionem Sacerdos cum tota congregatione gratias agebat, & sic officium complebat, exem-
plo

plo Christi, & Hymno dicto exierunt in montem
 Oliueti. Et hunc ritum missandi non Magister
 Ioannes Rokenz. docet, sed beatus Apostolus Pau-
 lus, ubi cum pro suo ritu allegat, 1. Timoth. 2. cap.
 quando dicit: Obsecro igitur primum omnium
 fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gra-
 tiarum actiones pro omnibus hominibus &c. ubi
 secundum glossa. ordinat. quam allegat Magister
 Ioannes Rokenzana, beatus Apostolus Paulus tra-
 didit omnibus Presbyteris, omniq; Ecclesie for-
 mam, quomodo deberent Missarum solennia cele-
 brare, & pro omnibus hominibus orare. Nam
 obsecrationes secundum glossa. praedictam sunt, quic-
 quid praecedit in Missarum solennijs usque ad il-
 lum locum, in quo incipit Sacerdos consecrare
 mysteria corporis & sanguinis Domini. Ori-
 tiones sunt, quas Sacerdos fundit in consecratio-
 ne Eucharistiae. Postulationes sunt benedictio-
 nes seu adhortationes, quas dicit Sacerdos super
 populum. Inuocans nomen Domini super illum,
 & adhortans eum ad charitatem & pacis unita-
 tem, quod tractum est de ueteri Testamento per
 Moysen. Namq; dixit Dominus Sacerdotibus: In-
 uocabitis nomen Domini super filios Israël, &
 ego benedicam eis. Gratiarum actiones sunt lau-
 des, quas communicato populo refert Sacerdos
 Deo Patri cum uniuersa Ecclesia, quod dignatus
 est eis sacrosancta mysteria corporis & sanguinis

nis filij sui dare ad redemptionem & salutem. Ista consuetudo & agendi ritus Dionysij includit, quæ remota sunt à ritu M. Ioan. Rokenz. uidelicet cui-libet fideliter pensanti ritum suum & ritum Dionysij ante dictum. Et per consequens ritus Magistri Ioannis Rokenzana non est similis aut coaptatus ritui Dionysij, aut uerè fundabilis in eodem, nisi fortè, ut loquamur ironicè in aliquo istorum locorum ibidem fundetur.

Primò in illo ubi tempore Dionysij eijciebantur indigni à communionem etiam & à uisione Sacramenti. Ibi Rokenzana cum ritu suo admittit omnes indifferenter, & pulsus campanæ conuocat ad uisionem Sacramenti, & sepè processionaliter extra Ecclesiam in conspectu omnium deferunt Sacramentũ cum magno tumultu, cantu & plausu, omnes ad spectandum Sacramentum excitantes.

Secundò ubi tempore Dionysij ea quæ legebantur in congregatione populi, uel decantabantur, omnia erant certa & uera, cum lectiones solùm fiebant de sacris scripturis, Et si qua legebantur uel decantabantur in lingua peregrina, illorum statim interpretatio fiebat, Ibi in ritu Rokenz. multa leguntur & decantantur incerta, falsa, & erronea, & multa in lingua peregrina, quorum nulla pro tunc ibidem sit interpretatio contra præceptũ Apostoli 1. Corinth. 14. Cap.

Tertiò ubi tempore Dionysij Sacerdos sub silentio populi

populi & chori expressè alijs circumstantibus & intelligentibus Sacramentum Altaris conficiebat. Ibi secundum ritum Rokenzanæ consecratio fit tacite nullo audiente, & tempore cantus & tumultus magni. Quartò ubi tempore Dionysij sacerdos celebrans cum munda conscientia & deuotione obseruatis ijs, quæ sunt de substantia Missæ, & circa ipsam sunt utilia. Sacerdos sacramentum Eucharistiæ conficiebat, & cum digno & probato populo communicans in corde puro & quieto mortem Christi cum alijs suis beneficijs memorabatur, iuxta præceptum Domini, quo ait per se & in suo Apostolo. Hæc quotiescunq; feceritis in mei memoriam facietis. Ibi in ritu Rokenzanæ multa legis Christi liberè restrictiua & impeditiua congregantur longè, unius Pater noster sancti Petri excedentia. Cum multa pars inutiliter in huius ritus occupatione decurrit, ex quo populus redditur tædiosus, & indisponitur ad dignam sacramenti perceptionem. Et Sacerdos oportet negligere magis utilia, cum multò melius foret minus cantare, quod uerum & edificatorium esset, & reliquum in doctrina salutifera consumere, quàm duas Missas ab hora octaua usq; ad quartam decimam inclusiue cantare, & una hora prædicare. Nec stante ritu illo tumultuoso & inquieto, & nimis longo, propter inutilem in talibus occupationem principalis finis missationis, qui est Christi mortis uiuax memoria, attingi inutiliter potest. Nec ua-

let excusatio Rokenzan. ubi illam prolixitatem ritus sui excusans contra nos inuehendo scribit. Si propter tedium ritus noster sit omittendus, multo magis ritus Taboritarum est detestandus, cum ferè omnes docti, clerici sacerdotes pro maiori sua parte, uiri & mulieres regni Bohemiae, cæteraq; terræ adiacentes, ritum nostrum detestentur, etiam uilipendunt. Ad hoc dicimus, quòd licet decorus & gloriosus ritus Rokenz. coram carnalibus à Spiritu Christi uacuis, & coram simplicibus de altitudine Sathanae, astutijs ignaris fulgeat, tanquam Sol in uirtute sua supra ritum Christi & Ecclesiae primitiuae, qui respectu eiusdem sicut stella in Solis presentia tenebrescere totaliter uidetur. Tamen rei ueritate hic splendidus modus & gloriosus ritus missandi Rokenzan. in multis uidetur esse poculum aureum in manu magnæ meretricis, plenum abominatione & immundicia fornicationis eius, quò terrenos inebriant, Apocal. 17. Videturq; quantum ad talia, in quibus scriptura fundabilis uerè non est, esse fucus meretricis magnæ lesabel, qui si fuerit abstersus, apparet horrendus, & tanquam leprosus à cunctis odiendus, & ipsum magnificentantes omnino confusi & nudi starent, eò, quod ornatum sanctorum Apostolorum, puta diuinam scientiam & sanctam conuersationem, tanquam discoloriam uentrem ex cunctis uirtutibus compositam, perdidērunt, & nihil ut communiter in se habent, nisi macula.

culatam tunicam cunctorum uitiorum. Et hæc ratio quare Christus sæpe in Euangelio generationem Pharisæicam, qui se extrinsecè ritibus ornare consuevit, comparat quandoq; sepulchris foris pulchrè depictis, quæ sunt intus plena ossibus mortuorum, quandoq; uerò catino extra loto & intus immundo. Quid ergò miri mi Rokenz. quòd multi tales de genere talium Pharisæorum ritum nostrum innocentem detestentur sic, & uilipendant. Et per consequens in uanum Rokenz. cum suo ritu gloriatur referendo secum illo ad ritum Dionysij, qui fertur fuisse discipulus Apostolorum. Cum nec sanctus Petrus libertatem prædicandi aut missandi cum suo ritu haberet inter illos, ut canit unus eorum articulus, in quo decreuerunt, ut nullus inter eos haberet libertatem prædicandi aut missandi, qui se in ritu minimè eis conformaret, & hoc non magis propter aliquid aliud fieret, nisi propter non obseruantiam accidentalium, & non de necessitate & sub natura ad missationem requisitorum, quæ paleas nunc culpant. Mirabilis ergò sapientia Magistrorum non daret libertatem, gratiam uerbi Dei habentibus propter paleas, illud fidelibus ministrandi.

QVAE

QVAE NON DE SVBSTANTIA
Missæ, Baptismi aliorum sacra-
mentorum sunt.

CAPVT LII.

Vbi autem circa culpam istam septimam nobis
obiectam, & hoc pro culpa ponitur, quod si-
gno crucis circa sacramenta admixtione quo-
que aquæ ad ipsum uinum in calicem non utamur.
Quare hoc faciamus, tactum est prius in cap. pri-
mo responsionis nostre ad istam culpam septimam
nobis obiectam, Quia scilicet facere signa crucis in Missa,
uel aquam in uino in calicem miscere, non est de sub-
stantia, nec necessitate Missæ seu Eucharistiæ sacra-
menti, caretq; hæc signa facere in Missa uel alijs u-
bicunq; autoritate scripturæ, ut ibi declaratum est, nec
autoritates Sanctorum, quas pro illis adducit, oppo-
situm sententiant, sed secundum Augustinum &
Thomam ibidem adductos, & earum intellectus, au-
toritates autem Sanctorum quotquot per Rokenza-
nam ad hoc adducuntur, quod sine impositione talis
signi nihil ritè horum, quæ secundum nos fiunt, per-
ficiantur, uidentur debere intelligi de passione Chri-
sti: crucifixi, uirtute cuius, & non à signo crucis o-
mnia sacramenta suam recipiunt efficaciam. De
qua Apostolus ad Galatas 6 dicit: Mibi autem absit
gloriarì, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.
Et

Et ipsemet Christus Matth. 16. dicit: Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me, alias non uidentur ad intentionem aduersarij habere ueritatem. Hinc Magister Ioannes sanctæ memoriæ super 3. dist. 9. dicit, quod illud tuam crucem adoramus & similia. Omnia inquit, illa debent exponi ad signatum, & non ad signum. Hæc ille.

Eodem modo dicatur ad auctoritates, quas M. Ioan. Rokenz adducit, pro consecratione aquæ, olei, & chris-matis pro ipso baptismo, pro exorcismo salis, impositione, sputo, alba ueste, ex sufflatione, & sic de alijs. Quod omnes illæ quotquot sunt, non sunt ad hoc, quod omnia illa prædicta sunt pro necessitate Sacramenti baptismatis, uel alterius, sed quod sunt non de necessitate ad sacramentum baptismatis requisita, à quibus multi capiunt occasionem erroris & superstitionis, & secundum aliquos non aliquid efficiunt, sed solum significant, quod efficiatur in baptismo, uidelicet in prima parte huius circa sacramentum baptismatis tactum est. In cuius signum plures sunt auctoritates per aduersarium pro his adductæ, quæ ad sensum mysticum, impositionem salis sputum & uestis interpretantur. Eodem modo interrogatur, & de pluralitate luminum & candelarum in Missa, quod illa non sunt de substantia Missæ, nec necessaria tanta multitudo luminarium ad cultum uel reuerentiam sacramenti debitam,
uel

sic intelligamus, ut Dominus quoque intellexit & interpretatus est: Sabbathum & aurum repudicemus cum cæteris superstitionibus Iudeorum, aut si aurum placet, placeant & Iudei, quos cum auro aut probare nobis necesse est aut damnare. Hec Iacobellus per totum.

Ex cuius uerbis patet, quod tempore legis gratia propter illud antiquum præceptum de habendis lucernis semper in tabernaculo, non ex hoc sequitur, quod nunquam desint dicta luminaria & candelæ in Missa, uel quod tanta pluralitas luminum & candelarum ad Missam necessario requiratur. Vel quod Hieron. hortans circa sepulchra sanctorum, & Chrysost. circa corpora defunctorum accensionem fieri luminum, hoc prætendant. Cum secundum Apostolum ad Gal. 5. Si quis uult unum aliquod custodire de obseruantijs legis, obnoxius est uniuersæ legi seruandæ, & illa sententia est beati Hieronymi, quem Magister Iacobellus, ubi supra allegauit, & per consequens, facta legis ueteris talia non sunt à nobis in consequentiam trahenda, quod ergo nos Christiani debeamus similia obseruare.

Hinc est, quod idem Hieron. in libro suarum explanationum tractans illud Esaie 66. Qui recordatur thuris reprobans ceremonias Iudeorum scribit qui thus tribuit quasi blasphemus, inò quasi benedicens Idolo, & Dominus inquit: Post filium meum, qui uenit mansuetus & pauper, nolo carnes, uicti-

mas, detestor sacrificium Iudeorum & umbras legis reprobo. Hec ille.

Et per hoc fieri potest responsio & aliud scriptum Rok. ubi pro uestibus, sacris altaribus communiter deputatis, adducit præceptum, quo Dominus Moysi præcepit, quod faceret Aaron sacerdoti & filiis eius uestes sanctas in gloria & de colore, ut sacris induti uestibus fungerentur officio suo in sacris, Exodi 28. 31. 35. & 40.

Ex illis enim arguere, quod sacerdotes legis gratiæ, debeant necessario habere antiquas uestes exteriores specialiter ad sacrificandum deputatas, argumentum non est sufficiens, cum illa in figura præcesserunt. Et in nouo Testamento non sunt obseruandæ ceremoniæ legis ueteris, ut tales, ut prædictum est.

Ergo infundabiliter, quo ad scripturam sacerdotes Christi artantur, habere illa uestimenta, uirtute illius Aaron præcepti, quando iam legalia cessauerunt, & quando Christus, qui non processit de tribu Levi, sed de tribu Iuda, cui non fuit tale datum mandatum, existens sacerdos spiritualis interioribus spiritualibus uestimentis, suos nolens esse ornatos sacerdotes, ut in prima parte huius latè declaratum est, exponendo suos sacerdotes ab illo prædicto Aaron præcepto, cœnam suam instituens, noluit aliqua specialiter uti ueste, sed in uestimento suo usuali cum discipulis suis exequendum exemplauit. Et ergo cum

fic intelligamus, ut Dominus quoque intellexit & interpretatus est: Sabbathum & aurum repudiemus cum ceteris superstitionibus Iudeorum, aut si aurum placet, placeant & Iudaei, quos cum auro aut probare nobis necesse est aut damnare. Hæc Iacobellus per totum.

Ex cuius uerbis patet, quod tempore legis gratia propter illud antiquum præceptum de habendis lucernis semper in tabernaculo, non ex hoc sequitur, quod nunquam desint dicta luminaria & candelæ in Missa, uel quod tanta pluralitas luminum & candelarum ad Missam necessariò requiratur. Vel quod Hieron. hortans circa sepulchra sanctorum, & Chrysost. circa corpora defunctorum accensionem fieri luminum, hoc prætendant. Cum secundum Apostolum ad Gal. 5. Si quis uult unum aliquod custodire de obseruantijs legis, obnoxius est uniuersæ legi seruandæ, & illa sententia est beati Hieronymi, quem Magister Iacobellus, ubi supra allegauit, & per consequens, facta legis ueteris talia non sunt à nobis in consequentiam trahenda, quod ergo nos Christiani debeamus similia obseruare.

Hinc est, quod idem Hieron. in libro suarum explanationum tractans illud Esaie 66. Qui recordatur thuris reprobans ceremonias Iudeorum scribit: qui thus tribuit quasi blasphemus, imò quasi benedicens Idolo, & Dominus inquit: Post filium meum, qui uenit mansuetus & pauper, nolo carnes, uicti-

mas, detestor sacrificium Iudeorum & umbras legis reprobo. Hæc ille.

Et per hoc fieri potest responsio & aliud scriptum Rok. ubi pro uestibus, sacris altaribus communiter deputatis, adducit præceptum, quo Dominus Moysi præcepit, quod faceret Aaron sacerdoti & filiis eius uestes sanctas in gloria & de colore, ut sacris induti uestibus fungerentur officio suo in sacris, Exodi 28. 31. 35. & 40.

Ex illis enim arguere, quòd sacerdotes legis gratia, debeant necessario habere antiquas uestes exteriores specialiter ad sacrificandum deputatas, argumentum non est sufficiens, cum illa in figura præcesserunt. Et in nouo Testamento non sunt obseruandæ ceremoniæ legis ueteris, ut tales, ut præstatum est.

Ergò infundabiliter, quo ad scripturam sacerdotes Christi artantur, habere illa uestimenta, uirtute illius Aaron præcepti, quando iam legalia cessauerunt, & quando Christus, qui non processit de tribu Levi, sed de tribu Iuda, cui non fuit tale datum mandatum, existens sacerdos spiritualis interioribus spiritualibus uestimentis, suos nolens esse ornatos sacerdotes, ut in prima parte huius latè declaratum est, exponendo suos sacerdotes ab illo prædicto Aaron præcepto, cœnam suam instituens, noluit aliqua specialiter uti ueste, sed in uestimento suo usuali cum discipulis suis exequendum exemplauit. Et ergò cum

gò cum Magistri quondam uoluissent ex prædictis
 uestibus Aaron arguere, sacerdotes Christi debere
 uti aliqua specialiter ad sacrificandum deputata ue-
 ste, & hoc per nos fuisset eis rationabiliter reie-
 ctum, per ea, quæ in prima parte huius scripta sunt,
 uidentes, Quia ibi non possunt subsistere, cum Chri-
 stus ipse oppositum docuisset, qui non uenit soluere
 legem sed adimplere tentauerunt, illos ornatus ex no-
 ua fundare lege. Primò ex opere Christi, quo Ioh.
 18. alijs uestimentis usus est circa officia prima cor-
 poralia, & alia circa sacramentorum mysteria, se-
 cundo ex illo Matthæi 17. ubi Christus in monte
 Thabor apparuit in uestimentis albis sicut uix. Et
 Ioseph iustus ab Armathia laudatur, qui mercatus
 sindonem mundam, ut habetur Marci 15. deputa-
 uit eam ministerio & obsequio Christi corporis.
 Ex quibus Magistri illud eliciebant, quod ex quo
 CHRISTVS circa corporalia seruitia usus fu-
 it alijs uestimentis, quam circa cœnæ suæ ministeri-
 um, quare sacerdotes moderni non similiter face-
 rent. Et iterum ex quo Christus placuit Deo patri
 in uestibus albis & candidis, quare moderni sacer-
 dotes in ornamentis sericis uel diuersicolorijs non
 placerent, uel si Ioseph laudatur deputans sindonem
 mundam obsequio Christi corporis, quare sacer-
 dotes moderni non uterentur aliquibus talibus ue-
 stimentis, circa sacramentorum ministerium. Hæc
 erant probationes Magistrorum pro fundandis cor-
 rum

rum ornatibus ex lege noua. Sed potest quilibet
 compos rationis cognoscere, quod istæ non sunt suf-
 ficientes probationes ad hoc, quod sacerdotes Chri-
 sti ex ijs operibus iam dictis, deberent necessario uti
 aliqua tali exteriori ueste specialiter ad sacrifican-
 dum deputata. Quia si CHRISTVS per hoc
 quod circa lotionem pedum alia utebatur ueste,
 quam circa ministerium cœnæ suæ instituere uolu-
 isset, ut sacerdotes moderni in Missa ornatibus, uel
 aliqua alia spiritali ueste uterentur, tunc potius
 Christus in ueste usuali lauisset discipulis pedes &
 cœnam suam ministrans, lintheo se præcinxisset,
 sed quia oppositum hunc Euangelium exprimit,
 ideò non conuenienter Magistri in hoc opere Chri-
 sti sua fundant ornamenta. Nec etiam ornatus mo-
 dernorum sacerdotum in hoc habent suum uerum
 fundamentum, quòd Christus in monte Thabor in
 ueste alba, sicut nix, apparuit, cum Marci 9. dicitur,
 quod talia uestimenta fullo non potest super ter-
 ram candida facere. Ex quo elicitur, quod talia non
 sunt ornatus sacerdotum, cum illa faciant homines,
 & notorium est, quod Christus ibi ubi in tali ueste
 apparuit, non celebrauit nec ministravit cœnam su-
 am, sicut nec ibi, quòd Ioseph corpus Christi in sindo-
 ne munda inuoluens, sepeliuit. Ergò relinquitur,
 quod non ibi ornatus habent uerum fundamentum.
 Quod si adhuc semper uolunt Magistri asserere,

quòd in talibus dictis operibus ornatus sacerdotum haberent fundamentum, tunc eadem ratione exercitus fideles debebunt in ornatibus incedere, cò quòd Ioannes Apocal. 19. uidit exercitus sequentes Christum in equis albis uestitos bissimo albo & munito. & secundum hoc Laici circumdati sindone munita communicare Christi corpori deberent, sicut Ioseph lineus existens Christi corpori fecit. Ex his iam dictis fideliter pensatis, quilibet intelligere poterit, quòd illa ornamenta in Missa, pro quibus Magistri tam a uide instant, nec in lege noua nec ueteri habent suum uerum fundamentum. Et quòd illa, que pro fulcimento circa hoc sibi capiunt, aliud non ostendunt, nisi quòd sacerdotes Aaronici tempore legis ueteris, alia speciali ueste induebantur, quando in sancta sanctorum ministrabant, & alia, quando egrediebantur ad populum, & hoc nunquam negamus. Sed quòd hæc uestis Aaronica sacerdotes sub tempore legis gratiæ, obligaret ad habendum aliquam talem specialem uestem in ministerio, hoc magistri nunquam docere poterunt. Nec illi sancti, quos pro se allegant illud asserunt.

Hinc est quod Magistri uidentes, quod nullum fundamentum, siue ex noua siue ex ueteri lege quibus dictos ornatus fundare nituntur, ipsis stare potest.

Vltimò recurrunt ad Pontifices Romanos, si saltem per illos circa illorum ornatus possunt persistere, & pro illo adducunt diuersos Papas & doctores, qui de

qui de ueste aliqua sacerdotibus deputata, faciunt mentionem. Et sicut ex eorum scriptis percipi potest, imprimis post institutionem factam de illis uestibus, potuit una esse differentialis uestis, & postea in successu temporis ille unum, & ille aliud addidit. Nullibi tamen doctores quamuis de illis uestimentis faciant mentionem ipsa mystificantes, tempore quorum iam de illis præcesserat institutio. Scribunt quod Christus uel eius Apostoli alicubi præcipiunt, quod sacerdotes moderni utantur aliqua speciali & extrinseca ueste circa Sacramenti ministrationem, aut quod soli ipsas habeant. Verum Malacobellus bene memorie in quodam tractatu suo expressè scribit, quod olim Sancti missando conficiebant communiter sine uestibus exterioribus iam ad hoc consuetis, & consuetudine adinventione hominum deputatis, & in hoc non peccauerunt. Et infra argumento Alberti magni sic arguit, cum Christi actio nostra sit instructio, & in nullo legitur Euangelistarum, quod uel Christus uestes sacerdotales in consecratione Sacramenti induerit, uel etiam quod Apostolos induere fecerit. Ergo Christus & Apostoli sine talibus Sacramentum consecrunt, & per consequens adhuc sacerdotes absq; talibus possunt adhuc consecrare. Hæc ille.

In cuius confirmationem in rationali V Vilhelmi parte prima cap. 2. legitur: Sanè in primitiua Ecclesia sacrificium fiebat in uasis ligneis & uestibus
 Y 3 commu-

communibus, tunc enim erant lignei calices & aurei Sacerdotes. Nunc autem econtrà est. Hæc ille.

Immò institutione iam facta de uestibus, adhuc non erat tanta obligatio ad eas, ut est modò, sed libertatem habuerunt ipsas nunc assumendi, nunc dimittendi. Hinc est quod Doctor Euangelicus scribit: Libertas religionis Domini requirit, quod cuncta talia sensibilia, quæ non sunt uirtutes uel gratiæ, licet fideli nedum laico, sed clerico nunc dimittere, nunc tenere, cum de indumentis corporalibus non legimus Christum uel suos Apostolos legem particulariter tradidisse, sed sine dissensione uel scandalo, nunc unum indumentum, nunc aliud leniter acceptasse, docendo nos ut faciamus similiter in cuius signum Christus legitur in ultimo die sue uitationis uariationem triplicem sui habitus siue apostasiæ indubiè ordinasse. quãdòcunq; quidem habuit uestem communem, quæ probabiliter creditur tunica inconsutilis, super qua milites sunt sortiti, habuit, sed secundo uestem albam, in qua Herodes induit ipsum tanquam stultum, Habuit tertio uestem purpuream, per quam sua cruentalia celaretur. Ad quid autem ordinasset omnisciens sic fieri, si non ad futuram priuatas obseruantias in uestibus refutandas? Hæc ille.

Et hoc nos Magistris concedimus, quod illorum suorum ornatuum, non nisi in Imperatoribus & Pontifi-

Pontificibus Romanis habent fundamentum, quia ab illis longè post Apostolos, ut in prima parte huius tractatum est, institutum existit, ut sacerdotes speciali ueste ad sacrificandum deputata, & ab Episcopis uel Episcopo consecrata, circa ministerium cœnæ Dominicæ uterentur. Quamuis pars in hoc nobis aduersa certitudinaliter ostendere nescit, quis Pontificum primus excogitasset illas, cum quidam uni, & alij quidè hæc asscribant. Verisimile tamen uidetur, ut quidam dicunt, quod Syluester Pape recipiens à Constantino Imperatore ornamenta imperialia post hoc statuit, ut Sacerdotes circa miserationem similibus utantur.

Hinc Doctor Euangelicus sæpe in suis scriptis illas uestes uocat cæsareas, Et postea ut Eusebius Cæsar scribit, quòd hoc fuisset candidissimum collobium sancti Iacobi Apostoli, sed nos ignoramus, si Iacobus confitebitur eis hoc, qualitercunq; autem sic de hoc, nos relinquentes eis hanc contentionem inutilem in hoc residemus, quod illos ornatus aut tales non habuit Christus, nec sui Apostoli, Nec de habendo ipsos nobis aliquid in scripto reliquerunt.

Ex quo quilibet perspicuè intelligere potest, quòd non ex lege, sed à Papis ornatus Magistrorum, pro quibus tam auide & acriter instant, initium receperant.

Ex iam dictis patet, quid sit dicendum ad doctores, quos pro illis ornamentis adducit Rokenz. tempore, quorum iam erat institutio de eisdem, quod illi qui de ipsis faciunt mentionem, quandoq; ipsa ministrantes, intelligunt ipsa non de necessitate Missæ, necessariò requisitam fore, sed de bene esse, sicut testatur Albertus Magnus lib. de officio Missæ circa finem libri, quem Rokenz. pro se adducit, qui sic scribit: De uestibus dicendum uidetur, quod uestes sunt de bene esse, ut ostenderent mundiciam & uirtutes, quæ in tanti Sacramenti ministerio deberent esse. Et ad hoc etiam fuerunt in ueteri Testamento, & quò ad hoc benedictio uestium non est superflua, si tamen sacerdos sine eis celebret Sacramentum pro certo ipse conficit, sed contra Ecclesiasticam institutionem grauitèr peccat, & Sacramenti reuerentiam. Hæc ille.

Ista autoritas Rokenz. respondet omnibus alijs quas adducit, qualiter sunt intelligendæ, quia uidelicet ornamenta illa circa Missam sunt de bene esse, & Sacerdos sine illis celebrans, conficit Sacramentum, licet peccet contra Ecclesiasticam institutionem. Non autem dicit ipsum peccare contra institutionem Dei. Et illo modo potest intelligi & dictum Lyre libro suarum missationum, quod etiam pro se allegat Rokenzana, qui sic scribit: Sacrificium autem Ecclesiæ quod est Eucharistia non est licitum offerre, nisi in debitis uestimentis propter

propter reuerentiam Sacramenti. Vult enim quod non est licitum sic facere, intelligendo secundum Ecclesiasticam institutionem. Non autem debet intelligi, quòd non liceat secundum legem Dei aliter facere, aliàs non esset uerum dictum Iacobelli & Alberti Magni per eum superius allegati. Rationalis VVilhelmi & Doctoris Euangelici, qui ut supra patuit, exprimunt, quod licitè & sanè in primitiua Ecclesia sacrificium in uestibus cõmunibus siue uestibus exterioribus, iam ad hoc consuetis, peragebatur. Si autem Rokenzana intelligere uellet dictum Lucae, quòd non sit licitum secundum legem Dei sacrificium Eucharistiæ offerre, nisi in talibus uestimentis, concordat hoc proprium dictum cum alio suo dicto Alberti Magni, Et nos manebimus in pace. Et quod usus uestium talium cum alijs quæ non de substantia Missæ & substantia aliorum Sacramentorum ad Missam uel aliud Sacramentũ requiruntur, non ex autoritate scripturæ, sed Ecclesiæ institutione obseruentur. Testes sunt huius replicantes contra nostros quatuor articulos, ex parte concilij Basiliensis, qui in suis replicis expresse scribunt, quod ritus & modus Sacramentum conficiendi Eucharistiæ cum talibus orationibus secretis mysticis, signis & uestibus sacris, in uasis consecratis, in Ecclesia, in Altari cum luminaribus, in signo crucis benedictionis fieri Sacramentorũ consecrationes, sal & aquam benedicere, & ea in simul miscere, exequias mortu-

orum facere, & alij ritus Ecclesiastici Sacramentorum, non ex autoritate scripturæ sacræ, sed ex autoritate & institutione Ecclesiæ prodierunt. Hæc ille.

CONFESSIONIS AVRICULARIS
per Innocentium tertium in-
troductæ inualidum
argumentum.

CAPVT LIIL

ADhuc quia M. Ioan. Rokenz. incidentaliter magnificat confessionem auricularem modernam, adducens pro ea plures autoritates Sacramentorum, & fundans eam in illo Leuitici 13. & 14. capitulis, Vbi Dominus iubet leprosos ut se ostendant Sacerdotibus, aut in illo Luc. 17. ubi Saluator decem uiris leprosis dixit: Ite, ostendite uos Sacerdotibus. Aut in illo Iacobi 5. Confitemini alterutrum peccata uestra, ideò restat pertractandū. Si illa huiusmodi confessionis auricularis eius sint stabilia fundamenta. Et breuiter dicimus, quòd ex illis prædictis scripturis per eum pro confessione auriculari prædicta allegatis, non sequitur necessariò & directè, quòd tempore legis gratiæ quilibet qui discretionem attigerit, & propriū Sacerdotem paratum habuerit, taliter cōfiteatur omnia peccata sua proprio Sacerdoti sub pœna damnationis æternæ, cum multi tempore utriusq; legis sine confessione tali in patria sunt saluati, & per consequens non est ne-

est necessario faciendā à quolibet uiatore semel uel
 ter in anno si saluabitur. Cū baptista & multi alij
 saluantur, qui nunquā cōfessione huiusmodi erant
 usi, nec subiacet potestati humanæ huiusmodi Sacra-
 mentum. Deus enim liberauit suam Ecclesiam, quod
 ex sua gratia & cōtritione cordis fidelium sine pœ-
 nitentia ista sint saluati, uidelicet de Petro, Paulo,
 Magdalena, cū multis cæteris. Nam isti tres sunt
 saluati ex fide scripturæ, tamen quod ista sacramen-
 tali cōfessione mundati fuerant, non docetur. Hinc
 est, quod Doct̃or Euangelicus quem Rokenzana in-
 ter alios Doct̃ores pro sua auriculari cōfessione al-
 legat, quamuis nō reprobet cōfessionis auricularis
 meritorie factum, uidelicet ex suis scriptis pluribus:
 Tamen quid sentiat de illa ipsemet melius & fide-
 lus se exponit quā Rokenzana, ipsum potest expo-
 nere ipse. Namq; in tractatu, quem fecit de duobus
 Sacramentis Eucharistiæ scilicet & Pœnitentiæ,
 soluens & respondens ad illud Euangelij de leprosis
 dictum: ite, ostendite uos Sacerdotibus, ex quo sic ar-
 guunt: Cū Christus omnia dicta illa dixerat in fi-
 gura, uidetur, quod ex hoc dicto figurauit, quod le-
 prosī sunt spiritualiter à Sacerdotibus cōfiteri, ita
 scribit: Concedenda ergo est historia Ecclesiastica
 supra dicta, & dicitur, quod ex illa non infertur fi-
 deliter, quod homines debeant in tempore gratiæ ta-
 liter cōfiteri. Si hoc uidetur probabiliter concludi,
 quod sicut in lege ueteri leprosi debuerūt se sacerdo-
 tibus

taliter confiteri. Si hoc uidetur probabiliter cōcludi, quòd sicut in lege ueteri leprosi debuerunt se Sacerdotibus ostendere, uidelicet Leuit. 14. Sic Christus author utriusque legis approbat pro suo tempore ueterem istam legem, & per authorisationem sanationis, quòd ista ostensio Sacerdotibus cessare debuit pro tempore legis gratie & nouæ. Istud significat redivit Samaritani, qui ultra nouem Iudæos sanatos, taliter est regressus ad medicum, infra concludens subdit: Sicut enim non infertur ex hoc Euangelio quod confitendus ferat in manu sua denarium Presbytero offerendum: Ita non sequitur ex ista historia, quòd fidelis debeat secundū istam traditionem confiteri. Hæc ille.

Deinde in tractatu eodem Cap. 3. dat intellectum illius alterius dicti Iacobi in Canonica cap. 5. distinct. Confitemini alterutrum peccata uestra, super quo Rokenz. nititur dictam suam fundare cōfessionem, ubi sic scribit, uidetur multis, quod generalis confessio & publica quàm confessio hæc fucata, utraq; tamen est bona licet in lege ueteri & lege gratiæ prima sit magis fraudabilis, quàm secunda. Nec solum Presbyteris est illa confessio facienda, sed discretis tam uiris, quàm foeminis, & commodè Deo nostro. Et de illa generali confessione & publica uidetur loqui Iacobus, quando dicit: Confitemini alterutrum, & aliter usus Ecclesiæ, quòd Sacerdos confitetur peccata sua, tam uiris, quàm foeminis, ipsis existenti-

existentibus, quandoq; solis in missarū suarū initijs foret culpabiliter introductus. Hæc ille.

Pro eodem est Beda super Epistolam Iacobi Capite ultimo dicit: Quod peccata quæ ex ignorantia vel infirmitate humana cōmittuntur, dicit & præcipit Apostolus alterutrum confiteri, quia facile dimittuntur, & ponitur 25. distinct. Criminis, & dicit gloss. Ibidem etiam Laico possumus ea confiteri, quamuis habeatur copia Sacerdotum. Hæc ibi.

Ex quibus verbis quilibet potest lucidè cognoscere, quòd fundamentū Rokenzanæ non benè subternitur confessioni auriculari prædictæ, quam dicit ex fide tenendam sub damnationis pœna, quod ipse in scriptis suis limitavit. Et quod Doctor Evangelicus prædicta melius seipsum exponit in prædicta materia, quid sentiat, quàm Rokenz. Ipsumq; præter eius intentionem, quod ibi minime intendit pro se trahendo. Qui ibidem & ad alias respondet authoritates Doctorum, quas pro sua confessione auriculari adducit Rokenz. quæ sonant ad hoc, quòd homo debeat Presbytero confiteri, & omnes tales sub uno per Dominum soluit, quando scribit, sicut ergò in quatuor religionibus priuatis sæpè dictis licet quædam facere, quæ regulæ istarum religionum faciunt stante semper Domini libertate, & non licet istis traditionibus ut legi Domini taliter obligari. Sic sentiendum est de hac traditione Papæ, qui est Patronus primæ sectæ. Obseruet ergò fidelis Christianus

Stianushanc libertatem taliter cōfitendi, quod cōfiteatur taliter sacerdoti, si & quatenus profit ei & Ecclesie, & istam libertatem habet cōcessam à Domino, quam Papa non potest destruere neq; dare. Et per hoc inquit, patet ad dicta Augustini & sanctorū similium solutio, quod homo debet Presbytero confiteri, quando Deus monet peccantē humiliter confiteri. Hec ille.

Ex cuius uerbis patet, quid dicendum sit ad Doctores, quos laboriosè Rok. pro sua auriculari comportat confessione. Ex illo ulterius poterit expergisci & digitorum ori apponendo cogitare Rokenz. ex qua fide scriptura cogit & obligat homines sibi subiectos, ut quilibet semel uel ter in anno ad talem somniatam & infertilem confessionem sub pœna sit astrictus. Cū idem Doctor Euangelicus in tractatu eodem, quo supra inter cetera scribitur, hortari potest Papa uel alius ad taliter pœnitendū, sed quod omnis homo qui discretionem attigerit, & proprium Sacerdotem paratum habuerit, confiteatur semel in anno omnia peccata sua proprio Sacerdoti sub pœna damnationis, non subiacet potestati Papali, cū nec potest damnare hominem nec saluare. Et infra in fine eiusdem 3. Cap. magis ad propositum nostrum sic subinfert. Concedo ergo dictum Augustini, quod homo debet idē necessitate confiteri peccata sua secundum formam, quam Deus limitauit. Sed absit ex isto concludere, quod rationale est
omnina

omnem hominem cōfiteri scmel in anno omnia peccata sua proprio Sacerdoti, ut salubre est homini audire tempore congruo, audire uerbum Dei, sicut salubre est homini quoad corpus, pasci cibario corporali. sed insanum foret homini, ipsum statuere, in quo sub pœna mortis taliter sermonem audiat siue edat. Deus enim dedit homini liberum arbitrium & multis specialem instinctum, quando et qualiter debent taliter operari. Ideo nimia excellentia supra CHRISTVM foret sic generaliter concedere talem legem. Hæc ille. Sententias contrariæ praxi Rok. Quæ autem ex confessione tali per homines introducta, mala possent faciliter promoueri legat, qui uult Cap. 6. eiusdem tractatus. Etsi latius cupit materiam istam discutere, & ad medullam ueræ Pœnitentiæ et istius confessionis per homines introductæ, & per modernos nimium magnificatè deuenire, legat cum diligentia et penset tractatus Doctoris Euangelici de blasphemia Cap. 8. 9. 10. atq; 11. quæ causa breuitatis hic inseri obmittuntur. Ex quibus Rok. iudicare posset & illud dictum suum, si continet ueritatem, aut in quo ipsum fundare poterit, quo magnificando dictam auricularem confessionem modernam scribit. Nisi enim hæc confessio haberet efficaciam, uideretur quod Christus in noua lege superflue dedisset Apostolis & Sacerdotibus clauium potestatem. Cum Apostoli receperunt à Christo potestatem clauium, & secundum illam officium

cium suum exercuerunt sine tali confessione humilitatis introducta. Imò Doctor Euangelicus scribit quòd Apostoli usi sunt Euangelica, non auriculari confessione, & quod multis uiderur, cum Ecclesia melius militauit per mille annos & amplius sine illa confessione auriculari, quod adhuc melius sine illa militaret. Et si hoc est uerum, quomodo stabit dictum Rokenz. unde clauces, quas acceperunt Apostoli à Domino secundum Magistrum sententiarum & alios Doctores sunt discernendi scientia, & iudicandi potentia, qua dignos recipere, indignos debet excludere à regno Euangelicus iudex. Ipsi enim habuerunt clauem scientie alios illuminandi, cum sint dicti lux mundi, ut possint mundum ab immundo discernere, & culpam maiorem in homine uel minorem cognoscere, contra quod mandatum Domini militaret, sic quod educentes populum de tenebris statuerunt cum in lumine ueritatis manifestè, ut stent sub obedientia Christi mandatorum, & extrinsecus in sancta conuersatione habentes talem in se intellectum, ex fide ut uerè per opera iudicare possent, quis transgreditur mandata Dei, & quis ea tenet, quis consentit fidei, & quis repugnat, & quis in fide defectu patitur, & quis in ea perfectus sit, propter quod non suspicantes occultè de alicuius bonitate uel malitia, sed manifestè cognoscebant, quis transgressor sit legis, & idcò ex præcepto Domini querebant in eo emendam mediante doctrina & fraternis

fraterna correptione, & si consentit ad emendam
 & propositum poenitendi ostendit secundū clauem
 alteram solum pronunciabant. Quod si quis proter-
 uus fuerit inuentus, nolens emendare iam ligatum
 denunciabant negantes sibi gratias diuinas, & con-
 uersationem inter fideles non admittebant, & quod
 sic clauibus à Christo eis datis, in Ecclesia primitiua
 ucebantur, patet ex uerbis Christi, Matth. 18. dicen-
 tis: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter
 te & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem
 tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum unum
 uel duos, quod si nec sic audierit, dic Ecclesie, quod
 si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus &
 Publicanus. Ecce plana sententia de exercitio clau-
 um in primitiua Ecclesia iterū tradere Satanae cum
 communitate talem in interitum carnis & Satanae,
 ut tentetur & uexetur, est uti clauibus à Christo
 datis Apostolis & eorum successoribus, uel non to-
 lerare illos in communitate, qui essent otiosi, & uel-
 lent alienis uiuere, uictum sibi acquirere negligentes,
 ideo Apostolus ligat quemlibet talem, & autho-
 ritatem ligandi in eum in communitate reliquit. Si
 quis frater nominaretur inter eos & esset auarus,
 &c. ut nec cibum cum illo capiant, & sic in multis
 alijs locis scripturae similibus, patet ista sententia.
 Ex qua sententia praedictarum scripturarum cui-
 dens ostenditur, qualis fuit usus clauium à Christo
 suis Apostolis datarum in Ecclesia primitiua, sine

illa confessione auriculari humanitus post introducta. Quae autem auctoritate dicta confessio introducta fuerit, patet in prima parte huius circa Sacramentum Pœnitentiæ. Ille usus prædictus clauium hodie à Sacerdotibus est obmissus. Cum heu moderni Sacerdotes discedentes unà cum populo à ueritate primitiuorum Christianorum usurpantes sibi potestatem clauium per alium spiritum quàm Christi ligant & soluent, contrariè Christo & suæ legi estimantes, quod solum circa cōfessionem auricularem illis clauibus uti debeant, & credentes, quàm citò quis in fr. spectu populi sit Sacerdos, quod habeat uis ad omnia, quæ Petro Apostolo sunt cōmissa, propter fidem eius illuminatam et charitatem, quamuis illis careat propter quæ Petrus clauis à Christo recepit, & credit se habere clauis, & securè de grege Domini se intromittit, & tales nimis multi sunt hodie prætensi Sacerdotes, qui nullam ueram habentes intelligentiam de clauibus nec de uera potestate Sacerdotum, excepta simplici confessione, quàm sine iudicio ueritatis exercent nihil ligantes, sed omnia per ordinem soluentes specialiter in his, qui sunt eis consentanei, licet non habeant propositum cessandi à malo, eos autem omnes ligantes qui eis sunt contrarij, etiam si Baptistæ haberent sanctitatem, sic quod apparet eis, quod per potestatem clauium, quam fingunt se habere, possent damnare innocentem & impiū iustificare. in hoc est magna peruersio in usu clauium

clauium hodie currens. Et potest ex isto catholicè ostendi, quòd homines non sunt cogendi ad cõfitemdum semel in anno omnia peccata sua proprio Sacerdoti sub pœna damnationis æternæ. Quia omne opus meritorium in quantum huiusmodi debet esse uoluntarium, omnis cõfessio hominis peccatoris secundum formam quam Deus limitat Sacerdoti facta, debet esse opus meritorium. Ergò omnis talis confessio esse debet opus uoluntarium, Ergò Sacerdotes coactè exigentes hanc confessionem extinguunt meritum confitentis, & per consequens præsumptuositate seipsos inficiunt, & rempublicam damnificant & perturbant, & hinc debet homo addiscere, ut confiteatur taliter Sacerdoti, si & quatenus profit ei & Ecclesiæ, & istam libertatem habet concessa à Domino, quam Sacerdos cogens eum ad taliter confitendum, non potest destruere neq; dare. Hinc sanctus Apostolus 2. Cor. 9. rogat collectam sibi dari pro fidelibus quasi benedictionem non coactè, sed uoluntariè quando dicit: Vnusquisq; enim prout destinauit in corde suo non ex tristitia aut necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Patet ergò, quòd Pastorum Ecclesiæ est cauere præcipuè de exactione pecuniæ subditorum, & sic confessionis attendens illud 1. Pet. 5. Pascite qui in uobis est gregem Domini prouidentes non coactè, sed spontaneè.

RESPONSIO SVB VNO PER DOMI-
num ad causas ferè omnium culparum
Sacerdotibus Thaboriensium
obiectarum.

CAPVT LIIII

Expeditis duabus partib. secundæ partis præ-
sentis, in quibus Dei adiuti præsidio satisfac-
imus culpis nobis per M. Ioan. Rokenz. nomine
suo cæterorumq; Magistrorum & Sacerdotũ Pra-
gensium obiectis, & scriptis ipsius, quibus nostram
positionem Catholicam, explanationemq; causæ no-
stræ multipliciter impugnavit. Iam restat nobis re-
spondere ad hoc, ubi idẽ Magister omnia sua & alio-
rum sibi adherentium, quæ contra nos promouet,
debens pro se probare, quod omnia illa benè & fun-
damentaliter faciat, suum laborẽ, qui sibi congruit
in nos conatur retorquere, quando postquamlibet,
quasi culpam nobis obiectam, & subiungit quod ad
hoc legem Dei & scripturas sanctorum Doctorum
nõ habent, quod hæc sint mala. Ad hoc ergo respon-
dentes, dicimus, quod ipsius est probare, si benè &
iustè facit omnia, quæ contra nos promouet in mate-
ria Sacramentorum, rituum, inuocationis Sanctorũ,
Purgatorij, Missæ, & aliorũ, & hoc faciant ex fide
scripturæ & testimonio Sanctorum se in eadem ue-
raciter fundantium, non ex fabulis, nec ex somnijs,
ex quibus conatur nos ad multa inducere, ut ea pro
articulo

articulo fidei teneamus & promoueamus, qui non in fide, sed in humana & infundabili fantasia consistunt, ut uerificetur in eo illud Psal. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Nobis sufficit, quatenus causam nostrā contra eum & sibi adherentes iustificemus. Quia ex gratia & auxilio Dei iustificati apparere poterit, cuiuslibet causam nostram diligenter & fideliter aduertenti quantum est, & quid ualent sua, pro quibus inutiliter uires suas exhaurit. Et quid ultimò ualebunt suae ampulose, detractoriae & confusivae fratrum sine causa rationabili praedicationes, quādo uelut alter Achitophel, cuius consilium erat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum, magnis afficietur tædijs, cum suos sudores & labores uidebit uanos, & sua non stabilia consilia, quae tanta uerbositate & prolixitate fabricauit.

INIURIARVM NOBIS PER MAGISTRUM ROK. iniuste ascriptarum notificatio.

CAPVT LV.

Am ultimò restat pro ablucendis criminibus, quae nobis obijciuntur, respondere iniurijs, quas nobis facit Rokenz. in nos graues calumnias fulminando, blasphemiasq; nobis imponendo, ac nominibus prauis nos sordidando, truncationem, falsificationemq;

nemq; authoritatum sanctorum minus iuste ascribendo, Fortè ideò hoc agens, ut aliorum criminatione ipse iustus esse possit, atq; aliorum maculis purus remanere, quæ postq; fronti ipsius innotescunt merito, illi poterunt confundere ad ruborè. Qualem autè iniuriã & quàm iniuriosam calumniã Rok. nobis inferat, potiùs eligimus patienter ferendũ quàm puniendũ. Ne tamè iustus sibi appareat eius respondebinus obiectis, scientes quia opus nostrum pro nobis interpellabat, quia nihil truncamus, nihil ponendũ deposuimus de sacris scripturis. Nihil corripimus scienter & intentione, testis Deus est, qui uidet in cælo & in terra. Quotiens autè Rok. ad hoc probandum ubi & quando hoc fecerimus sit monitus & petitus, ut dicat, certum est, quod nec usq; hodie, nec usq; in diè iudicij poterit probare, licet asseruisset hoc nos fecisse, nõ tamè ueraciter probabit, ut hinc immediatè inferius patebit. Vbi ergò primò nobis ascribit, quòd truncassemus Thomam de Aquino, ad hoc respondemus, sicut & tunc coram auditorio in collegio Caroli respondimus, quod nunq; probauit, nec probare poterit unq; quòd truncassemus Thomam Aquin. quando nos diximus allegando Thomam 3 parte summæ, q. 72. articulo 1. quòd loquens de institutione Sacramenti, confirmationis scilicet quantum ad Christum et ceteros ritus humanitus circa hoc introductos, dicit, quòd aliqui dixerunt hoc Sacramentum non esse institutum à Christo nec ab Apostolis, sed post in-

processu

processu temporis in quodam concilio. In hoc quilibet potest uidere, quod nos non truncamus eum, sed diximus quod ipse hoc dicit de quibusdam, qui sic dixerunt, & hoc est uerum. Vbi autem ipse Thomas suam opinionem & sententiam circa hoc determinat, illa sunt uerba sua & sensus suus, quem Rok. referat, illum nos non uidentes fundabilem ueraciter in scriptura non recipimus. In hoc ergo non potest nos iuste arguere de truncatione ipsius ex eo, quod non assumimus eius sententiam infundabilem in scriptura, & assumimus hoc, quod de alijs dicit, qui in illo suo dicto se fundant in scriptura, sicut nec Rokenz. deberet dici truncator M. Ioannis de Rugasio impugnatoris sui articuli de cōmunionem utriusque speciei. Quando diceret M. Ioannes de Rugasio, dicit M. Ioan. de Rok. tenere communionem Sacramenti Eucharistiæ sub specie utraq; panis scilicet & uini, quantū ad plebes & alios: uniuersaliter fideles cadere sub præcepto, quamuis ipsemet Rugasio oppositū teneat et determinet Rok. Vnde de Doctore isto Thomas sciatur, quod in 47. punctis inuenitur sibi met contrarius, et reperitur fuisse talis cōditionis, quod quasi omnem cōsuetudinē Ecclesiæ, quā inuenit, si bona uel mala uel approbare, uel ad minus excusare innitebatur, uidelicet de adoratione imaginū, cultu latriæ, ut dicit adorandarū, de indulgentijs, in quibus dicit Deum sequi sententiā Sacerdotū, sententiā etiā de Sacramento Eucharistiæ tenet

infundabilem, contra quam se obtulerunt aliqui
 Prage contra omnes alios, qui illam eius opinionem
 uelint defendere, quam nec Magister Iacobellus bo-
 næ memoriæ tenuit, & æstimamus ut nec Roken-
 zana, cum multis sibi adherentibus, illam tenet,
 imò & simonias Papæ, ut plurimum uidetur excu-
 sare, ideo non sumus obligati, omnes eius tenere sen-
 tentias, nisi de quanto se fundauerit in scripturis,
 & per consequens non bene Magister Ioannes Ro-
 kenzana dicit, quòd in illo quod dictum est, ipsum
 truncassimus. Eodem modo potest quilibet con-
 siderare, quòd nec in illo alio loco ipsum trunca-
 mus, quando uolentes ostendere, quod non est de
 necessitate Sacramenti extremæ unctionis, quod
 oleum prius ab Episcopo consecratur, uel Chrisma
 ad confirmationem, diximus hoc Thomam 3. parte
 q. 72. articulo 3. Quamuis post ea respondendo ad
 argumentū ad intentionem Ecclesiæ modernæ Ro-
 manæ declinet sic arguere. Baptismus in quo fit ple-
 na remissio peccatorum, non est minoris efficaciæ,
 quàm hæc duo prædicta Sacramenta, sed non est de
 necessitate Sacramenti baptismi ut aqua benedic-
 tur, ut patet in casu necessitatis. Ergo nec est de ne-
 cessitate istorum Sacramentorum, scilicet confirma-
 tionis & extremæ unctionis, ut oleum & Chrisma
 sint per Episcopum benedicta. In hoc enim quod di-
 ximus, quia Thomas sic arguit, nõ truncamus eum,
 cum sic arguit. In hoc aut, quod ipse postmodū soluit,
 & ad

Et ad mentionem modernæ Ecclesiæ determinat, ille est sensus suus, illum nos non obligamur assumere, nisi illum ueraciter fundet in scriptura, sicut argumentum suum quod accepimus nos, expressum habet fundamentum cum experti suorum scriptorum & nutriti in Theologia sciunt, quod sæpè argumenta sua uel motiua, quæ facit, fundabiliora sunt quàm eius solutiones, quas ad sensum curiæ modernæ Romanæ applicat. In hoc ergò non potest nos Roken. iustè arguere, de truncatione ipsius in hoc, quod non assumimus eius infundabiles solutiones, & assumimus eum in hoc, quod uerè arguit, in tali argutia se ueraciter fundans in scriptura. Sic ne iniuriam facimus Dionysio dicentes, quòd loquens de Sacramentis inde Eucharistica hierarchia, nullam facit mentionem de extrema unctione, & Thomas hoc testatur, qui ita est, ut patet cuilibet intuenti. Quamuis Thomas assignat rationes, ibi quare Dionysius non facit de hoc Sacramento mentionem, hoc non est contra nos. Quòd autem iterum nobis Rokenz. ascribit, quòd truncassemus Hugonem, ad hoc sic respondemus, sicut respondimus ad Thomam. Cum enim diximus, quòd Hugo de Sacramentis lib. 2. parte 16. scribit referens de quibusdam & dicens: Quidam putant animas corporalibus pœnis cruciari non posse, nisi per corpora & in corporibus manentes, &c. Nos in hoc non truncauimus eum, sed diximus, quod ipse sic dicat de quibusdam, quod istud

dixerunt & hoc est uerum, quamuis ipse Hugo sic
 am alienam sententiam determinet. Tertio. M. Ro-
 kenz. dicit de nobis, quod truncassemus M. Ioannem
 Husß sancte memoriae in sententia, quam exprimit
 in sermone, Dixit Martha ad Iesum, hoc nos nega-
 mus, quia quando nos diximus isto modo, quod quan-
 uis M. Ioannes Husß plura ibi de illo loco purgatorij
 scribat, tangatq; modos, quibus melius uiui, dato
 quòd non sint aliqui in tali purgatorio possint mor-
 tuis suffragari, sequens in hoc Thomam & alios,
 de hoc sine scripturae expressae autoritate loquen-
 tes. Quid tamen solus finaliter de eo sentiat, conclu-
 siuè manifestat, quando dicit in eodem sermone, in
 tota scriptura sacra non docuit Dominus expressè,
 orare pro mortuis præter librum Macchabeorum,
 qui non est de ueteris testamenti apud Iudeos cano-
 ne, deniq; subdit: Neq; Prophetæ, neq; Christus cum
 suis Apostolis, neq; sancti eorum sequaces propinqui
 orare pro mortuis docuerunt explicitè, sed docue-
 runt ualde sollicitè populum ut uiuens sine crimine
 foret sanctus. Hæc ille. Non truncauimus eum, sed de
 eo dicentes, cum nõ negamus, sed manifestè expres-
 simus, quod alios sequens & eorum sententias enar-
 rans, multa alia ibi scribit, sed illa sic scribens, per
 istã conclusionem suam manifestat, quòd non ut arti-
 culum fidei tenebat, & promouebat modernum ma-
 gistrorum purgatorium. Quarto nobis ascribit,
 quod truncassemus dictum B. Hieronymi positum in
 decreto

decreto dist. 13. q. 2. ubi sic scribit: In presenti seculo
 scimus siue orationibus, siue consilijs inuicem posse
 nos adiuuare, cum autem ante tribunal Christi ue-
 nerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Nohe rogare posse
 pro quoquam, sed unumquemq; portare onus suum.
 Sic enim uerba Hieronymi allegantes non truncaui-
 mus eum, cum allegamus eum sic integraliter, sicut
 positus est in decreto sine omni diminutione, & cū
 hoc referimus nos ad locum ubi scribitur. Sed quid
 Roken. addidit capiens uerba sequentia in decreto,
 quæ posita sunt post uerba prædicta Hieronymi,
 quæ nos non adduximus, illa non sunt uerba Hieron.
 sed Gratiani sensum illis uerbis Hieron. applicantis,
 & hoc potest quilibet, qui uult recipiendo decretū
 uidere, quia ita est, quod dicimus. Non ergo repre-
 hendat nos de truncatione uerborū Hieronymi, sed
 seipsum de eisdē uerbis Hieron. additione reprehen-
 dat. Quinto nobis ascribit, quod doctores Euange-
 lici uerba truncassimus, quando recipientes ista eius
 uerba, quæ loquitur de sacramento extreme unctio-
 nis dicens: Sed ista uidetur nimis leuis in uerbis præ-
 dictis Apostoli Iacobi fundatio sacramēti, quia si ista
 corporalis unctio foret sacramētū, ut modo fingitur
 Christi & cæteri apostoli eius promulgationē et exe-
 cutionē debitā nō tacerēt, usq; ad illud ipsum allegā-
 tes nō addidimus ista eius uerba, quæ immediatē post
 uerba p nos allegata subsequūtur, ubi dicit: Cōcedo
 tamē tibi, quod ista corporalis unctio ē aliqb. cæteris
 paribus

paribus sacramentum, per hoc non debemus argui truncatores, cum non addidimus illa uerba, cum uerba illa sunt de alio respectu, ad quem illa dixit, quam illa prædicta per nos adducta, nec necessum fuit illa nobis adducere, cum non est inter nos & ipsum difficultas, de hoc quod corporalis unctio est aliquibus cæteris paribus sacramentum, cum nos ex fide tenemus, quod infirmi poscentes, licite possunt oleo unctionis competenti, quod ualeret ad corporis sanitatem, ad intentionem & finem, ac effectum per Apostolos memoratum, inungi. Intentione q; & ritu apostolico unctionem talem factam, ut in prima parte huius tactum est, salubrem fore & utilem profitemur, sed de alia unctione, quam est illa, loquitur Doctor Euangelicus, ubi nos eum adducimus. Unde pro intelligendis dictis doctoris Euangelici & aliorum doctorum in prima parte huius post octo supponens, quas pro fundamento dicendorum per nos præmisimus, posuimus unum notabile, quod circa sacramenta duo aduertimus.

Primum, institutionem Christi, in quantum uidelicet à Christo in sua puritate & substantia sunt instituta ac exemplata.

Secundum sensus ipsis extraneos & impertinentes ac ritus circa illa humanitus adinuentos, ut ibi latius descripsimus, adiungentes, quod secundum illum duplicem respectum Doctoris, quem circa dicta sacramenta habuerunt, loquebantur uariè. Nunc ad unum

unum habentes respectum, nunc ad alium. Et sic in-
 intelligendus est Doctor Evangelicus in suis scri-
 ptis, quod loquens de Sacramentis, illum duplicem
 habuit respectum, loquens quodocumq; secundum
 unum, & quandoq; secundum alium, uerbi gratia,
 cum scribit in Postilla super 1. Cor. 1. ut Rok. eum
 adducit: Omnia Sacramenta sunt Christi, ipse enim
 instituit omnia Sacramenta, & ipse dat gratiam,
 quam efficaciter significat quodlibet Sacramentum,
 & ab ipso ut fundamento habet efficaciam, secun-
 dum eius benedicta merita. Et quando iterum scri-
 bit in trialogo de ultimo Sacramento, quod uocatur
 extrema unctio, quod fundatur in illo dicto Iacobi 5.
 Infirmatur quis in uobis, &c. & quando iterum scri-
 bit ibidem in trialogo: Concedo quod ista corporalis
 unctio est aliquibus ceteris paribus Sacramentum,
 & sic de alijs similibus suis scriptis. Illa sic scribit ha-
 bendum respectum ad institutionem Christi, in quan-
 tum uidelicet hoc Sacramentum à Christo in sua pu-
 ritate & substantia est institutum. Vbi autem in
 trialogo, ubi suprâ, ut nos eum contra Rok. allega-
 mus scribit, quod minus leuis uidetur in uerbis præ-
 dictis Iacobi 5. fundatio sacramenti extreme uncti-
 onis & confirmationis in illo Act. 8. & iterum si illa
 corporalis unctio foret sacramentum, ut modò fin-
 gitur, Christus & ceteri Apostoli eius promulgati-
 onem & executionem debitam non tacerent. Simi-
 liter quando scribit in suo trialogo, ubi suprâ in sa-
 cramento

cramento baptismatis, in sacramento confirmatio-
 nis & cunctis alijs Antichrist. ritus infundabiles ad
 inuenit, & ad onus Ecclesie extra fidem scripturæ
 supra fideles subditos cumulauit. Sacramenta autem
 alia necessaria prætermisit, uidelicet de septem ope-
 rib. misericordie spiritualis, quæ debet apud fideles
 & specialiter presbyteros esse sacramentum, sed hoc
 sacramentum licet sit ualde necessarium, quia ta-
 men caret lucro temporalium, & est præpositis te-
 diosum, idè est infideliter prætermissum, unde uide-
 tur mihi singulos, qui instituunt tales priuatos ordi-
 nes & dant generaliter regulas, ut talia sacramenta
 utiliter à subditis sint accepta, in Deum blasphema-
 re specialiter cum Deus uult saluare multos sine sus-
 ceptione huius sacramenti. Quæ ergò Antichristia
 uæ præsumptio prælatum asserere & infundabili-
 ter affirmare, quod nemo saluabitur sine suscepio-
 ne huius sacramenti, similiter quando de sacramen-
 to confirmationis scribit, uidetur quòd ista confir-
 matio introducta supra Apostolos blasphemat in
 Deum, & ista leuis & breuis confirmatio cum ad-
 iectis ritibus tantum solennibus, est idè motione di-
 aboli introducta, ut Apostolus in fide Ecclesie illu-
 datur, & Episcoporum solennitas aut necessitas plus
 credatur, & quantum ad oleum, quo unguunt pue-
 ros, & peplum lineum quod complexum est capiti,
 uidetur quòd sit ritus leuis & infundabilis in scri-
 ptura. illa omnia & alia similia, quæ taliter scribit,
 scripsit

scripsit ea indubiè respectum habens ad extremam
 unctionem & confirmationem modò usitatis, &
 ad sensus eius extraneos impertinentes, & ad ritus cir-
 ca illa humanitus adinuentos, & extra fidem scrip-
 turæ supra fideles subditos cumulos. Non autem
 sic scripsit respectum habens ad unctionem infirmo-
 rum & confirmationem, quæ fit per manuum impo-
 sitionem, in quantum à Christo & in sui substantia
 & puritate sunt instituta aut exemplata, in cuius
 signum Doctor Euangelicus parum inde & notabi-
 liter formam loquendi seruat in talibus specialiter
 quando loquitur, quantum talem respectum secun-
 dum communiter addit hanc dictionem: Ista uel ta-
 lia siue tales, & hoc facit ad magnam differentiam
 habendam inter illa, quæ loquitur respectum habens
 ad sacramenta in quantum in sui substantia & puri-
 tate à Christo sunt instituta, & illa, quæ loquitur
 habens respectum ad sensus eius impertinentes &
 extraneos & ad ritus circa illa infundabiliter ex-
 tra fidem scripturæ humanitus introductos, & hoc
 est bene pro intelligendis scriptis eius pro regula
 aduertendū, & per consequens minus iustè Reken-
 nobis ascribit, quod in uerbis prædictis doctorē Eu-
 angelicum truncassemus, sicut nec illo in eū trunca-
 mus, ubi allegantes ipsum in dialogo lib. 3. cap. 3. ubi
 scribit: Certum est ex fide scripturæ, quod oportet
 mediatorem Dei & hominum Iesum Christum, si a-
 liquid à trinitate concedi debeat per orationē cuius-
 cunque sancti. alternis mediare, &c.

Non

Non allegamus eius uerba, quæ immediate ante hoc scribit, uidelicet ista Ecclesia nostra Romana habet hanc consuetudinem, quod quæcunq; sanctum orauerit sermonem ad Christum dirigit, non ad illum sanctum principaliter, &c. Illa non est truncatio uerborum ipsius, cum illa uerba pro Rok. allegata, non sunt contraria illis uerbis per nos allegatis, sed habent suum sensum sanum, qui per nos superius quando respondimus ad doctores, quos Rok. pro inuocatione sanctorum adduxit, est expressus. Sexto asscribit nobis M. 10. Rok. quod iniuriam fecissemus M. Iacobello allegantes ipsum in illo, quod in uno suo tractatu scribit, quod Innocentius, qui uiguit anno domini 1404. statuit tunc oleo ad usus infirmorum consecrato ab Episcopo, ut non solum presbyteris, sed etiam omnibus Christianis. Et quod in eodem tractatu scribit, quod olim sancti missando conficiebant communiter sine uestibus exteriorib. iam ad hoc consuetis, & consuetudine & inuentione hominum deputatis, & sine ritu longo modo à sacerdotibus usitato, & in hoc non peccauerunt, in illis nos sibi iniuriam non facimus, cum sic scribat: Vbi autem Roken. in excusationem Iacobelli plura scribit dicens: ipsum manu propria consignasse, & in uno publico sermone in Bethlehem coram multitudine populi promulgasse, & intentionem suam in materia belli, traditionum humanarum celebratione sine ornamentis & alijs pluribus punctis declarasse.

clarasse. Si bene excusauit se, bene sibi erit. Sed quales illæ eius sunt excusationes, patet expertis, qui à multis annis eius audiebant prædicationes, dū prædicabat in Ecclesia S. Michaelis, & postea in Bethlehẽ, quando primum post M. Ioannem bonæ memoriæ, cathedram in Bethlehem recepit, quomodo tunc in illis punctis se habuit, & quomodo postea in aliam qualitatem uersus suam uitam finiuit, nobis non est iudicare, est qui iudicat Deus.

Ex istis iam dictis potest quilibet sanæ mentis intelligere, quod nihil truncamus nec falsificamus, nec aliquid ponendum deposuimus de sanctis scripturis, nec aliquid corrupimus scienter & ex intentione, excepto isto, quòd hoc, quod extra de ijs, qui sunt filij legitimi Ca. per uenerabilem, in nouella per Ioannem Andrea scribitur: Inuocare est ipsum desiderium ex tota mente & anima ad solum Deum in oratione per uocem emittere, asscripsimus Ianuensi, quod in suo Catholico hoc dixisset, Et ad hoc dicendum sic peruenimus, quòd non potentes originale aggredi, pro tunc in alio libro sic scriptum reperimus, hoc non in magnum malum deberet interpretari, cum sic, ut dictum est, præter intentionem nostram contigit, quòd si Rok. hoc multum uult præbendere, & nos ex hoc falsificatores doctorum appellare, quod præter nostram intentionem accidit, multò magis ipsemet deberet truncator & falsificator scripturarum appellari. Ipse enim

enim non præter intentionum, sed electiue ex intentione, ut suprâ ostensum est addidit uerbis Hieron. propositis in decreto 13. q. 2. dicens fore uerba sua, quæ uerba fuerunt Gratiani, ipse etiam falsificauit glossor. ut in prima parte secundæ partis principalis tactum est, super 2. Pet. 2. super isto textu: Nouit Dominus pios de tentationibus eripere, iniquos uerò in diem iudicij cruciandos, adducens eam propositis in purgatorio, quæ tamen loquuntur de damnandis in igne perpetuo. Ipse etiam adducens Vuilhelmum in rationali diuinorum mysteriorum parte 3. sui uoluminis, ubi sic dicit: Quidam autem heretici garrunt, nusquam reperiri in nouo Testamento, quod Christus uel eius discipuli præmissis uestibus induerentur reprehendentes nos temerè, quod talibus ornatur, quoniam sicut ait Ioannes de cœna: Dominus surgens posuit uestimenta sua, & postea alia nunquam accepit, nisi sua, nos uerò ut dicunt, plura alia, quoniam uestimus & reuestimus in Missa, in qua cœnam ipsam imitamur, illa Rokenz. adducens de rationali non curauit adducere, uel quia contra ipsum est, obmisit, quod idem Vuilhelmus prima parte sui uoluminis cap. 3. scribit dicens: Sanè in primitiua Ecclesia sacrificiũ fiebat in uasis ligneis & uestibus communibus. Tunc enim erant lignei calices & aurei sacerdotes, nunc uerò econtrâ est. Hæc ille.

Cui plus in isto secundo dicto est credendum, cum se

se conformat Magistro Iacobello & alijs superius allegatis, qui dicunt in Ecclesia primitiua olim communiter in uestibus communib. sacrificasse, & estimamus, quod M. Ioan. Rok. ob reuerentiam M. sui Iacobelli non audebit ex hoc eum hereticum appellare, quod argumento magni Alberti probatum, quod sine uestibus exterioribus iam ad sacrificandum communiter usitatis potest sacerdos bene conficere, sic arguebat: Quia cum Christi actio nostra sit instructio, in nullo autem legitur Euangelistarum, quod uel Christus uestes sacerdotales in consecratione Sacramenti induerit, uel etiam quod Apostolos induere fecit. Ergo Christus & Apostoli sine talibus sacramentum consecrerunt, & per consequens adhuc sacerdotes absq; talibus possunt etiam conficere. Hæc ille. Ecce M. Iacobellus expressè innuit, quod in nullo Euangelistarum legitur, quod Christus uel Apostoli uestes sacerdotales in consecratione sacramenti induissent, & tamen non estimamus, quod ex hoc deberet argui fore hereticos secundum uerba Vuilhelmi per M. Rok. allegati, & per consequens uolens in nos Rok. & non ualens horrendam infamiam inducere, solus in foueam, quam nostris tetendit, pedibus incidit, & de illo de quo nos argue re conabatur, magis cum clamoribus coram toto auditorio promittens se in nos truncationem & falsificationem scripturarum deducere, se ipsum minime arguit, oblitus illius dicti Apostoli Roman. 2. Ipsum

ad ruborem confundentis. Qui ergò alium doces te ipsum non doces, qui prædicas non surandum, furaris, qui doces non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idolum, sacrilegium facis. Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. Ex istis iam responsionibus nostris patet, cuilibet uerè & fideliter aduertenti, quod adhuc Deo duce, fundamentum nostræ causæ, & cum toto de superædificio statum immotum, ut Tetragonus sine uituperio, & incorruptum, & quod inuanum & sine causa in ea nos deturpant, non ualentes uerè in nos deducere, quod aliquid in punctis, in quibus à Rokenz. & sibi adherentibus discrepamus, contra fidem scripturæ pertinaciter teneamus, aut quod contrarium foret fides defendere uel minus tueri, aut quomodolibet defensare. Rogamus ergò & hortamur in Christo pijsimo I E S U crucifixo, quentlibet pium lectorem, ut in fide, spe, & caritate Domini nostri Iesu Christi suscipiat omnia, quæ in scripto nostro præsentis legunt, in tantum & pro ea ipsa recipiat, pro quo & in quantum ædificant Catholicam & Apostolicam fidem & spem Iesu Christo, quæ fides omnia per dilectionem & ad dilectionem operatur. Nam protestamur & coram Deo, atq; ex Deo eloquimur, quod solum pro eo & ad id in hoc scripto elaboramus, ut saltem in modico fraudem Antichristi & eius fucatas seductiones morderemus, & refrigerium charitatis multorum per legem

legem Christi & Apostolorum refricando excitare-
 remus, fortè quosdam uiros & sacerdotes ad san-
 ctum zelū agnoscendis & desiderandis ijs, quæ sunt
 primitiue Ecclesie, rogantes omnes & singulos, ad
 quos opus præsens peruenerit, quatenus omnes de-
 fectus nostros, & si qui in hoc opere relucet piè
 & misericorditer interpretentur, & supportent
 propter amorem Domini nostri Iesu Christi, siue er-
 gò lapsi sumus uel fuerimus, in uerbo & in Gram-
 matica forsitan, siue in allegationibus scriptura-
 rum, siue in sententijs uerborum & superfluitate,
 siue in audacia loquendi de diuersis difficultatibus,
 siue quòd in aliquibus materijs descendimus fortè
 nimis reprehensiuè ad personas quorundam homi-
 num, siue de aliquibus uerbis Satyricis ad increpan-
 dum compositis usq; ad commotionem, uel offensam
 fortè piarum aurium, siue de zelo nostro, qui est in
 aliquibus, & forsitan in pluribus locis, non secun-
 dum sententiam, siue de inepta & incompleta ex-
 pressionem aliquarum ueritatum. De omnibus in-
 quantum talibus petimus iterum atq; iterum & sen-
 per ueniam & compassionem, & si necesse est, in
 aliquibus modo & forma, in protestatione nostra
 in principio scripti huius posita, piam coniectio-
 nem.

Si quid autem in ijs sententijs fuerit conueniens,
 & utile, sit in eo laus & gloria DEO Patri, &
 FILIO eius pijsimo & gratissimo DOMINO
 a b cruci-

crucifixo, & SPIRITVI SANCTO. Ex

quo omnia, in quo omnia, & per quem, &
propter quem, Qui uiuit & regnat

Deus in secula seculorum,

AMEN.

FINIS ADEST
VERE.



ARTI

ARTICVLI MAGISTRO-
RVM ET SACERDOTVM ANTI-
*que ciuitatis Pragensis, per regnum Bohemie, sub
anno Domini Millesimo, quadringentesimo
tricesimo secundo euulgati.*

ARTICVLVS PRIMVS.

IN PRIMIS CREDIMVS ET TENE-
mus ad quod singulos Christianos ad-
hortamur, ut credatur & teneatur,
Quod Christus ueris Deus & uerus ho-
mo est in sacramento uisibili Eucharistię,
in sua propria natura & substantia. sue
naturalis existentiaę, eadem quam assum-
psit de uirgine Maria, & qua residet in cœ-
lo in dextera patris, qui in eodem sacra-
mento honor, cultu, genu flexione, ado-
ratione, luminum accensione, & aliarum
uenerationum exhibitione debet exhi-
beri.

SECUNDVS. Credimus & tenemus,
quod septem sacramenta, uidelicet, ba-
ptisma, confirmatio, pœnitentia, sacro-
sancta Eucharistia, ordo, matrimonium,
unctio, sacra sunt ex fide catholica neces-
saria, ac salubria antidota animarum, ab
omnibus promouenda & tenenda.

TERTIVS. Item tenemus, quod sacramentum baptismatis more Ecclesiæ cum exorcismis & cum patrinis, cum chrismate, & oleo sacris, ac cum trina immersione in aqua benedicta, & alijs ritibus consuetis est exercendum, dum ad ista est congrua opportunitas loci, temporis & personarum.

QVARTVS. Item tenemus, quod pro remedio animarum lapsarum & labentium & pœnitere uolentium, confessiones auriculares idoneo Sacerdoti sunt exercendæ, & remedia salutifera, scilicet, ieiunium, eleemosyna, & orationes, & cætera bona satisfactionis pro modo culpæ sunt eis iniungenda.

QVINTVS. Item credimus & tenemus, quod Sacramentum extremæ unctionis, poscentibus ægris & infirmis, iuxta ritum ac formam Ecclesiæ sanctæ est ministrandum & exercendum, & nos hortamur omnes, & de post uolumus adhortari, ut cum in grauem infirmitatem inciderint, illud sacramentum non omittant aut quouis modo contempnant, quia contemptores illius & aliorum sacramentorum

rum sunt castigandi, & iuxta censuram Ecclesie corrigendi.

SEXTVS. Credimus & tenemus, quod decem precepta dominica, & cetera puncta Evangelica sunt à cunctis fidelibus sub obtentu salutis æternæ obseruanda. In sensu uerò, quem Spiritus sanctus flagitat & Sanctorum sententia concors Spiritu sancto differit, & explanat potissimum accedendo ad matrem & magistram dominam nostram Ecclesiam primitiuam Spiritu sancto regulata, & praxes eius & executiones eorundem preceptorum.

SEPTIMVS. Tenendum est & obseruandum, quod in occisione reorum non est lex uetus in singulis suis iudicialijs sequenda & alleganda. Nec ipsa occisio à quoquam est in propria causa aut uindicta exequenda. Nec in quenquam nisi in eum, qui aliter corrigi nullatenus ualer, nec unquam aliter, nisi magna urgente necessitate, lex noua occidere licentiat, & per potestates legitimas suadet, & auctorizat, hoc autem ut fiat cum magna compassione, & cum conditionibus se-

2 5 decim

decim charitatis, & ipsa regula legis naturæ obseruetur: Quod tibi fieri non uis, rationabiliter alteri non feceris.

OCTAVVS. Credendum est & tenendum, quod res alienæ à quantuncunque iustis de lege communi non solum sunt auarè non inuadendæ, nec concupiscendæ, nec nociuæ tangendæ, & plebs fidelium in bonis suis non est opprimenda iuxta documentum Pauli: Mala non sunt facienda, ut eueniant bona.

NONVS. Credimus & ex scriptura tenentes tenemus, quod Sancti in cœlis Christianis hic fidelibus suis orationibus & charitatiuis auxilijs pro capacitate siue eorum dispositione suffragantur. Quos fideles licenter possunt postulare & exorare pro auxilio & intercessione, circa hoc tamen cultum latriæ soli Deo debitum eis nõ impendentes, sed in moderamine prout decet, ad Sanctos se habere, ad eosdem habentes, & quicquid deordinati foret respectus ad Sanctos & supra mensuram postulationis hoc abijcientes.

Deci-

DECIMVS. Item tenemus & ex multis scripturis Sanctorum componentes in lege Domini fundatis credimus, quod animarum à corpore exutarum locus Purgatorij post hanc uitam est ponendus, quæ non ad plenum hic in uita pro peccatis satisfecerunt, post hanc uitam purgatæ saluabuntur. Quodque fideles hinc in uita talibus propter uinculum charitatis & spiritus possunt & debent ieiunijs & orationibus, eleemosynis, & sanctis operibus pie suffragari. Circa hoc tamen semotis & detestatis omni auaritia lucris deordinatis Sacerdotum qualibet simonia, quæ olim Sacerdotes auari & simoniaci illo honore exercebāt & exercent.

VNDECIMVS. Item tenemus & fideliter obseruare intendimus, quod ritus & ordo sacrificandi in Missa & Vesperis, & circa alia officia diuina in signis & habitu consuetis est legitimus & debitus, prout circa Missam est humerale, alba stola, manipula, cingulus, & ornatus more Ecclesiæ sanctæ ordinatus.

Qui ritus absque notabili necessitate simul etiam circumstantia debita & magna,

magna, in Missa & alijs diuinis officijs, à sanctis in honorem & laudem Dei dispositis, & ordinatis à Sacerdotibus Christi non debet omitti, sed in hoc facto teneri & obseruari.

DVODECIMVS. Item ieiunia in uigilijs Sanctorum & alia ieiunia debita in Ecclesia sancta huc usque obseruata soli uolumus ea obseruari, & suos subiectos ad eadem teneri.

TREDECIMVS. Tenemus quod festiuitates Sanctorum præsertim Domini nostri Iesu Christi, quæ sunt B. uirginis Mariæ, Apostolorum Iesu Christi, Martyrum sanctorum, & cæteræ antiquæ in Ecclesia Dei in celebratione ab antiquo obseruatæ modo debito, non solum ab opere seruili corporalis laboris, sed & à peccatis abstinendo, uelut ebrietatibus & cæteris deordinationib. sunt festiuidæ. De alijs uerò festiuitatib. minoribus ex unanimi consensu, clerus cõgregatus sibi iuxta Deum propositis quod cõcluserit uerbis diminuendo, uel secus de eisdem ex instinctu spiritus constituendo uolumus contentari.

Item

Item circa istos articulos nunc articulatos, diuina pro diuinis, humana pro humanis habeantur. Quod si circa illa, quæ sunt humana in istis articulis contingat nos in posterum sensum salubriorem concipere, quam nunc percepimus, illum uolumus declinare, sed amplecti pro salute nostra consequenda & totius populi nobis subiecti. Sic tamen, quod non prius aliquid immutetur, nisi prius in commune omnibus Magistris scilicet, & Sacerdotibus utriusque ciuitatis Pragenses, & eis, qui concordia interfuerint, & in hac parte sunt eorum adhærentes, referant, & per eos quid fuerit in communi simul decretum teneant. Actum sub anno Domini 1432. infra octa. Circumcisionis, &c.

ARTICVLI THABORI tarum contra Papistas Pragenses.

ARTICVLI SACERDOTVM THABORIENSIVM supra dictis articulis Magistrorum in pluribus contrarij.

Quia

Quia nuper ex causa Deo cognita
 Magistri & Sacerdotes antiquæ ci-
 uitatis Pragensis quosdam fabri-
 cârunt articulos nobis Sacerdotib. cam-
 pestrîs exercitus, Sacerdotib. Thaborien-
 sium, ciuitatum & cõmunitatum eorun-
 dem quoque distantium, &c. per terram
 Bohemiæ ac Morauix constitutarum at-
 que constitutorum. Et communitatibus
 nobis adhærentibus contrarios seu ad-
 uersos, nondum ex fide scripturæ, quod
 ab omnibus sic teneri debeant deductos.
 Ipsos ubique in scriptis publicantes in
 præiudicium concordix inter commu-
 nitates firmatæ, & nouarum litium susci-
 tationem. nõ obstante compromisso fa-
 cto, uiris discretis, electis ab omnibus cõ-
 munitatibus potestaté & auctoritatem
 habentibus ad prouidendum de aliquo
 bono medio inter nos & ipsos, saltem in
 ijs, quæ humana sunt, & citra fidem. Hinc
 est, quod nos Sacerdotes antedicti per
 istos instigati uolentes suspicionem sini-
 stram, & cû communitatibus nobis ad-
 hærentibus aufugere intentionem no-
 stram in scripto redigentes decreuimus
 publicare, & ad partes diuersas huius re-
 gni destinare. Quia nõ licet in casu huius-
 modi

modi sub silentio pertransire. Quatenus populus uos & illos intelligat, & de nobis nostrisque communitatibus non aliquid erronei suspicetur. Quam intentionem nostram, quid uidelicet de Sacramentis & punctis alijs per ipsos tactis, credamus seu teneamus in istis nostris subscriptis articulis omnibus & singulis notificamus.

PRIMVS ARTICVLVS.

In primis credimus & tenemus, sicut antea tenuimus & credebamus, quod panis, quem Christus in sua cœna accipiens, &c. suisque ad manducandum dedit discipulis, & in cuius digna perceptione per ministerium fidelium Sacerdotum, reliquit memoriam suæ passionis, est in natura sua uerus panis, qui pronomine Hoc demonstratur in hac propositione Sacramentali, hoc est corpus meum, & cum hoc uerè sacramentaliter & realiter est corpus Christi de uirgine sumptum & pro nobis traditum, qui in sibi debita habendus est reuerentia, & fideles illū uenerantur nō panis substantiā sed de quāto, ut præmittitur, est corpus Christi cuius uerum

rum corpus in eodem esse ueraciter, Sacramentaliter & spiritualiter est credendum. Non autem cum cōmunibus proprietatibus tam essentialibus quàm accidentalibus cōsequentibus ipsum corpus, idem in cœlo ad dexteram Dei sedens. Ad quod omnis fidelis in mente debet attendere suspenſa consideratione circa naturam materialis substantiæ Sacramenti, cū sollicitudo fidelium uerè adorando, & genu flectendo, & cogitando esse debeat in imitatione saluatoris nostri, & deuotione ad eius corpus quod sursum est, & etiam eodem modo prædicto in ipso uenerabili Sacramento, & proportionabiliter intelligendum est de Sacramento calicis.

SECVNDVS. Tenemus, sicut & antea tenuimus, quòd baptisma, manuum impositio, cœna dominica, pœnitentia, ordo, matrimonium & infirmorum unctio, quæ uocantur communiter Sacramenta, & si qua alia sunt in lege, quæ eadem ratione dici debēt Sacramenta, sicut aliquod ex ijs septem, in autoritate, forma, sensu quoque Christi, In fide ac ritu & praxi primitiæ Ecclesiæ, cuius rectores erant Aposto-

Apostoli, fuerunt, & sunt capacibus multum utilia ac salubria antidota animarū. Non tamē sic simpliciter necessaria, quin aliquando sine susceptione talium in signo sensibili fiat salus.

TERTIVS. Etiam tenemus, sicut & antea semper tenuimus, quod Sacramentum Baptismatis, obseruatis ijs quæ ex fide scripturæ ad eius requiruntur necessitatem, & circa ipsum sunt utilia, Exemplo Apostolorum & primitiue Ecclesiæ potest licitè & uerè, & liberè, loco & tempore oportunis exerceri sine exorcismo, exufflatione, sale, signatione crucis in pectore, & in fronte, sine linitione auriū, narium, pectoris, & scapularū, sine unctione Chrismatis in uertice & eiusdē cum oleo per Episcopum & aquæ per Sacerdotes, ut inquit, benedictione, sine triana immersione, & patrinorum requisitione, & sine quibusdam alijs circa hoc Sacramentum ab Ecclesia Romana moderna institutis, & quandoque nimirum solennifatis, & pensatis.

QUARTVS. Post hoc tenemus prout & semper tenuimus, quod ad medelam
 b anima-

370 ARTIC. THABOR. CONTRA
animarum, quæ spiritualiter in infirmitate
deciderunt pœnitere quæ uolunt præ
supposita pœnitentia in animo simplici-
ter necessaria ad salutem, qua contritus
Domino insensibiliter confitetur, & cum
expressione, quando quæ uocali singula-
riter sibi facta, uel cuicumque indifferen-
ter fidelit̃ à prudentiorib. requirens con-
silia iuxta informationem B. Iacobi, &
proxim primitiuæ Ecclesiæ, adiunctis
quando quæ salubribus remedijs, ieiuni-
orum, elemosynarum, orationum, alio-
rum quæ operum bonorum, ad quæ om-
nia tanquam ad eandem ex fide scriptu-
ræ utilia seu necessaria nos hortamur, si-
cut & continuè hortabamur, sufficit, pro-
ut quondam suffecit sine cōfessione au-
riculari tantum facta priuato Presbytero
iuxta formam & obligationem Innocen-
tij & Ecclesiæ Romanæ modernæ, & sine
forma usitata absolutionis & pœnitentię
in numero & pondere & mensura secun-
dum uoluntatem cōfessoris iniunctione,
quæ humanitus & infundabiliter, quoad
scripturam sunt introducta, & non de ne-
cessitate pœnitentiæ requisita, magis si-
moniam & cleri extollentiam, quàm sa-
lutem promouentia animarum.

Quintus.

QVINTVS. Insuper proponentes & cōfiterentes utilitatem unctiōnis infirmorum ad intentionem & finem per Apostolos ad memoriam reductæ ac ritu eorum & uirtutæ factæ. De qua B. Marcus & Iacobus faciūt mentionē, super ægros olei in partibus determinatis impositione, ab Episcopo quandoq; simoniaco & simoniacè promotō prius, ut inquit, benedicti, & sæpe usq; ad corruptionem & fœtorem rerenti cum recitatione litanæ, orationum, & alia iuxta formā Romanæ modernæ usitatam Ecclesiæ ordinatione, carentesq; de hac scriptura expressa legis ac sententia sanctorum se inuitabiliter fundantium in eadem, non audemus illam pro fidei articulo practicare, & confiteri, tanquā Sacramentum, ut sic à Christo uel eius Apostolis institutum reputantes ipsum ut sic non à Christo nec ab eius Apostolis, sed ab humana institutione processisse. Cùm si talis corporalis unctio foret Sacramentū, ut modo fingitur, Christus & cæteri Apostoli eius promulgationē & executionem debitam non tacerent.

SEXTVS. Cæterum quamuis credimus & ex fide scripturæ tenemus, sicut

372 ARTIC. THABOR. CONTRA
& prius tenuimus & credebamus, quòd
Sancti cœlestis patriæ ad fideles hîc ui-
antes, affectum bonum habeant, & ipsis suf-
fragantur, qui ipsorum suffragiorum par-
ticipium à Deo optare debent. Quod &
nos optamus, scripturam tamé legis ex-
pressam nescimus, nos sub æterna dam-
natione obligantem ad tenendum pro
fidei articulo, quòd Sancti in cœlestibus
à fidelibus hîc uiuantibus pro dicto suffra-
gio, & intercessione debeant necessariò
inuocari. Quod tamen si necessariò fieri
debeat, Christus & cæteri Apostoli huius
promulgationem & executionem debi-
tam non tacerent.

SEPTIMVS. Amplius, quamuis tene-
amus & ex scriptura legis credimus, si-
cut et antè tenuimus & credebam⁹, quòd
animæ saluandorū in illo magno & lon-
go tempore, ab initio uidelicet mundi
usque ad ipsius cōsummationem, sunt
secundum scripturas & Dei ordinationē
ab omnibus suis inquinamentis finaliter
expurgandæ. Scripturā tamen legis ma-
nifestā ignoramus, nos sub æterna dam-
natione obligantem ad tenendum pro
fidei articulo, quod locus Purgatorij ani-
marum à corpore exutarū post hanc ui-
tam

tam sit ponendus tempore legis gratiæ Christi ascensu, In quo postmodum pœnas corporales sensibiles sustinētes purgatae saluarentur, & quod fideles hic in uia talibus debeant ieiunijs, eleemosynis, orationibus, ac alijs pijs operib. suffragari. Quod tamen si esset & necessario fieri deberet, Christus & cæteri Apostoli huius promulgationem & executionem debitam non tacerent.

OCTAVVS. Cùm hoc etiam in missando obseruantes & promouentes ea, quæ de eius sunt substantia & necessitate, sequentes circa hoc ritum Beati Dionysij, in quantum promouet deuotionem populi in cantu moderato in uulgari, in lectione sacrarum scripturarum in ædificatoria prædicatione, & indignorum etiam à uisione Sacramenti pro posse exclusionem, & in alijs, quæ secundum legem Euangelicam ad bonum suffragantur, tenemus & confitemur, quod ritus missandi in signis omnibus & uestibus consuetis, puta in alba humerali, manipula, cinctorio & casula, quæ Ecclesia Romana moderna instituit & cõmuniter obseruet. Et quidam Magistri Pragenses à peccato excusant &

b 3 exercent

174 ARTIC. THABOR. CONTRA
exercerent nostro uidere pro hac uice nul-
libi expressum fundamentum scripturæ
habet, Quod si sic fuerit ritus Apostoli-
cus, non est nec Apostolorum sanctorum
discipulorū nec uniuersalis Ecclesiæ, sed
est ritus modernæ Ecclesiæ Romanæ à
multis Pontificibus Romanis longè post
Apostolos ab imitatione Euangelij Chri-
sti notabiliter declinantibus fabricatus,
& onerosè introductus, quem ex causis
idoneis omisimus, in hoc, ut speramus,
cæteris paribus non peccantes.

NONVS. Item cum diligentia promo-
uentes omnia ieiunia à lege Domini cõ-
mendata, & à fidelibus tam in lege uere-
ri, quàm noua meritoriè obseruanda,
ieiunia uigiliarum Sanctis limitata, ido-
latriam sapientia & in lege Domini non
fundata, ac aliàs undecunque de ordi-
nata cum cibis spiritualibus, rarioribus,
pretiosioribus aut lautioribus, ratione
quorum pauperes plus spoliantur, diui-
tes autem ingurgitantur non promo-
uemus, sed quomodolibet detestamur,
optantes ut totus populus Domino cõ-
placenter ac sanctis primitiuis conformi-
ter ieiunaret.

Deci-

DECIMVS. Item cū Apostoli sine quibusdam festiuitatibus modò consuetis Sanctorum & usitatis plus nobis dilexerunt Dominum nostrum Iesum Christum, & ut reputamus, nec scriptura, nec Apostoli has docebant, uidetur nobis catholicum tot Sanctorum nouitates esse temerarium, & prodesse Ecclesiæ, quòd cessantibus istis omnibus festiuitatibus Sanctorum solū Christi festiuitas obseruetur. Quia sic Christi memoria recentius haberetur, & plebis deuotio, non sic in membra Christi indebitè spargeretur, cū nō ualeat solennisatio, uel festiuitas talis, nisi de quanto ad magnificandum Christū præparat, & honorem suum incirat, & ad amorem suum prouocat & accendit.

VNDECIMVS. Item credendum est & fideliter tenendū, quod præcepta dominica, imò & lex integra Christiana, quæ est aggregatum ex omnibus ueritatibus scripturæ sacræ, succedens pro suo tempore, quarum aliqua est temporalis, manens p̄ sua periodo. Aliqua manens perpetuò, & si aliqua stans in æternitate cū Deo, quam Christus nō uenit soluere, sed adimplere, & quæ tam firmæ existit ueritatis,

376 ARTIC. THABOR. CONTRA
ratis, quod nullum Iota aut apex ipsius
fallere potest, sunt à cunctis fidelibus sub
obtentu salutis æternæ obseruanda secun-
dum uniuscuiusque conditionem atque
statum.

DVODECIMVS. Item tenendum est,
& firmiter obseruandū, quod nec in con-
demnatione reorū, nec in occisione lex
uetus ut huiusmodi, in singulis suis indi-
carijs est exequenda, neque leges huma-
næ, Euangelio contrariæ, sequendæ sunt
& allegandæ, nec ipsa occisio unquam in
aliqua causa alicui infligenda, nisi si & iu-
stum urgente necessitate lex noua occi-
dere uel cōdemnare licuerat. Et Ecclesiæ
primitiæ praxis declarat & ostendit, ita
tamen, quod circa prædicta, 16. conditio-
nes charitatis obseruentur, & ipsa legis
naturæ regula: Quod tibi non uis, ratio-
nabiliter alteri ne feceris.

TREDECIMVS. Item firmiter tenen-
dum est, quod de lege cōmuni res alicui
non solum non sunt auarè inuadendæ,
sed nec tangendæ nociuè & cōcupiscen-
dæ, nec plebs fidelium & innocentum quo
modolibet opprimenda. Saluo tamen sa-
no sensu scripturarū infrà annotatarū &
aliam

aliarum ipsis similium. Nemo militat pro
 prijs stipendijs unquam. Omnia uestra
 sunt, Iusti tulerunt spolia iniquorum,
 custoditur iusto substantia peccatoris,
 Dauid cum ijs, qui cum eo erant, comedit
 de panibus, quos non licebat comedere,
 nisi solis Sacerdotibus, cum iniustum
 non potest esse, quod iustitia fieri iussit.

VLTIMO. Protestamur omnibus &
 singulis, quod per istud scriptum non in-
 tendimus derogare alicui scripturæ sa-
 cræ, nec aliquam personam confundere
 in sententia fundata ueraciter in eadem,
 sed respicientes multorum fidelium pro
 ijs punctis uexationem & horrendam he-
 reticationem, multarumq; traditionum
 humanarum legem Christi impendenti-
 um, restringentium ac onerantium, ni-
 miam magnificationem & appretiatio-
 nem præsentibus optamus, ut huiusmo-
 di pericula à cunctis fidelibus declinen-
 tur, & quicquid humanum est pro huius-
 modi habeatur, & quod diuinum est, fir-
 miter teneatur, ne Christus cum suis A-
 postolis in legis suæ traditione, & eius-
 dem obseruatione tanquam insufficiens
 repuretur, optamusq; esse discipuli uni-
 b 5 us ma.

us Magistri Domini nostri Iesu Christi,
 & legi ipsius in singulis obedire, & si per
 quempiam siue per concilium generale,
 siue particulare, siue per sanctos docto-
 res, siue per auditores à communitati-
 bus deputatos, & personas ab eisdem
 fuerimus, eadem lege, quòd in isto no-
 stro scripto uel quocunq; alio excesseri-
 mus, contra fidem aut contra bonos mo-
 res seu ritus legitimos & uniuersales san-
 ctæ matris Catholicæ & Apostolicæ Ec-
 clesiæ, quos recepit à Domino parati su-
 mus obedire ueritati, & permanere cum
 illa, scientes, quòd ueritas super omnia
 uincit. Hoc idem optantes omnibus ge-
 neraliter Christi fidelibus & cuilibet sin-
 gulariter ac similiter faciant cum effectu.

ARTICVLI PRAGEN- sis Synodi.

INCIPIVNT ARTICVLI SYNODI
*generalis Cleri regni Bohemiæ, celebratæ
 anno Domini 1434. in festo S.
 Iacobi Apostoli, in inclytæ
 ciuitate Pragensi.*

IN primis pio & fideli corde credimus,
& integra menre credendum & asseuerandum affirmamus, omne uerbum scripturæ sacrę noui & ueteris Testamenti esse simpliciter & inuolabiliter ad sensum, quem Spiritus sanctus efflagitat, uerum, sanctum & Catholicum, & ab uniuersis Christi fidelibus uenerandum & tenendum, toto corde asseueramus, & memoramus.

Item symbolum Apostolorum magni concilij Nicæni, symbolum Arhanasij, unâ cum omnibus alijs symbolis Catholicis in Ecclesia priuatiua tentis & promulgatis fideliter ex integro credimus, ab omnibus asseueramus, omniaq; decreta statuta sancta, rationabilia & Catholica, Apostolorum & Ecclesiæ primitiuæ, quam pro matre & magistra fidei Catholicæ honoramus, & à qua discedere nefas putamus tenenda & obseruanda decernimus, & mandamus, ita ut quoddam Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nosq; seruemus & custodiamus.

DE QVATVOR ARTICVLIS.

Communio diuinissimæ Eucharistiæ sub utraq; specie panis & uini utilis multum & saluti expediens toti credentium
popu-

populo est necessaria, & à Domino præcepta saluatore, sicq; communicantes, moti fide scripturæ ac Spiritu Domini, etiam si prælati dissentiant, licite faciant. Nec idèd prophani dicendi sunt, nec uelut hæretici puniendi, sub prædicta quoque duplici specie omnes fideles & corde fidelissimè credant, & ore sincerissimè confiteantur totum dominum Iesum Christum, uerum Deum & hominem, cum suo proprio corpore & sanguine naturali, quod sumpsit de Maria uirgine, & quo sedet ad dexteram patris, nobiscum esse sua præsentia reali, Qui in eodem sacramento honor, cultu, genuflexione, adoratione, luminum accensione, & aliarum uenerationum exhibitione, debet exhiberi, sicq; ab omnibus tenendum fideliter, Sacerdotes Domini populo annuncient, & credendum eandem eisdem quo sacrosanctæ Eucharistiæ communionem diuinissimam sub utraq; specie panis & uini, quotiescunq; Spiritus Domini suggererit, siue semel tantum cotidie, siue certis dierum interuallis, uniuersis Christi fidelibus tam sanis quàm ægris, tam adultis quàm infantibus omni ingenio & pietatis consilio effectualiter exequen-

quendam promoueant, & uelut omen gratiarum ardentissimè populo recommendent. Et circa ministerium aliorum sacramentorum, sacramentum Eucharistiæ sub præmissa forma, uelut uirtus & confirmatio eorundem non deferatur, sed concurrat & ministretur, quia teste Dionysio, nullum sacramentum ritè celebratur, in quo sacra communio non sumitur.

